DECISIONES
Regulares, & Canonicę

Studio quorundam Fratrum Minorum Recollectorum depromptæ

EX

QVÆSTIONIBVS REGVLARIBVS

R. P. F. Emanuelis Roderici Lusitani
Sac. Theol. Lect. Prouin. S. Iacobi
Regul. Obser. Ord. Minorum;

Vsui CONFESSORVM omnium, eorumque qui Iudiciali foro operam impendunt, vtiles, ac peraccomodatæ.

Cum Indice locupletissimo.



VENETIIS, M DC XIX.
Apud Baretium Baretium.

Superiorum permissu, & Priuilegiis

ADMODVM

Reuerendo Patri

F. SANCTO PINARDO

Prouinciæ S. Dominici Prouinciali meritissimo.

ANimo mecum ipse reuoluens, (Admodum Reu. Pater) quæ in nepotem meum contulisti, quæque quotidie confers beneficia, quanta illum alacritate in Religionem receperis, quanta beneuolentia prosequaris, quam pia foueas benignitate, me tibi adeo deuinctum fateri cogar, vt debitæ gratiarum actioni locus præcludatur. Hinc factum est, vt cum ad manus meas Decisiones hæ Regulares peruenerint, illas tibi Regulari perfe-

ctissimo in sacra, celeberrimaque Prædicatorum familia Prouinciali integerrimo, sapientiæ magistro perillustri, ac virtutum omnium receptaculo venerabili consecrandas curauerim, non innumeris tuis in me meritis aliqua ex parte satisfacere contendens; sed ab ingrati animi vitio brutis ipsis animantibus inuiso, hominibus perhorrendo memet vendicare peroptans. Munusculum hoc igitur hilari fronte suscipe, meque nepotemque meum assueto patrocinio ne destituas; vtrique enim nostrum nihil poterit contingere felicius. Vale, longumque vale, faxitque Deus, vt cuncta tibi semper, prout iure mereris, prospera succedant.

Dat. Venetijs Nonis Martij 1619.

Paternitatis tuæ Admodum Reu.

Seruus addictiss.

Marcus Antonius Brugnolus.

REVERENDIS

ADMODVM

Dom. Dom. Abbatibus, ceterisque Regularibus Superioribus

F. SIMON DE GRINCOVRT,

In Conuentu Fratrum Minorum Recollectorum Vallencenensium humilis Guardianus, eiusdemq. Conuentus Religiosi,

S. P. D.

QVi vanam vulgi æstimationem, hominumque fauores ambitiosè venantur, admodum Reuerendi Domini, in id toti incumbunt, & insudant, vt & noua conquirant, & quæ magna repleant librorum volumina pertractent, illa vt aciem ingenij,

genij, hæc vt magnam scientiæ supellectilem aliis ostentent, cum tamen sæpe sæpius nouitas curiositatem accendat, & prolixitas tempus inaniter absumat; nos verò, qui gloriam nostram non in leui hominum opinione, sed in solida rei veritate ponimus, & communi aliorum vtilitati magis de facto prodesse, quàm tantum, vt tales haberi cupimus, tempus nostrum non infructuose impensum putauimus, si Quæstiones Regulares à R. P. EMANVELE RODERICO antea fusè per tres tomos conscriptas, compendiosè per Aphorismos redigeremus, atque ordine alphabetico ad commodiorem omnium vsum, & vberiorem fructum digestas in publicum produceremus: nam quamuis fateamur, vt reuera est, Regularium priuilegia, Apostolicasque constitutiones cum propriis cuiusque difficultatibus in toto prædicti Patris opere doctè & vtiliter pertractari, thesaurus tamen est in agro, vt ita dicamus, absconditus, & lucerna iis

tan-

tantum lumen præbens, qui non minus otio, quam ingenij subtilitate perabundant; otio, vt longo argumentationum decursu protracta euoluant, ac perlegant; subtilitate ingenij, vt ex tanta opinionum varietate, argumentorumque copia, quæ subinde pro rei exigentia recensentur, genuinam Authoris sententiam fideliter deducere nouerint. Quamuis autem nemini, vestrum præsertim, quos non tantum virtus, sed etiã ingenij præstantia, scientiarumque cognitio ad Prælaturæ, dignitatumque culmen & fastigium euexit, eam capacitatem vllatenus deesse probe sciamus, non ignoramus tamen plures per diuersas variorum negotiorũ occupationes ab illius operis lectione frequenter arceri; ac propterea, vt res in promptu cuilibet haberentur, singulas Quæstiones, & articulos propriis cuiusque conclusionibus absoluimus, annotantes interim tomũ, quæstionem, & articulum, ex quibus illæ, aliæque, quas vt minus necessarias omisimus, eruuntur, vt

qui fusiorem de illis tractatum desiderauerit, nullo sanè negotio ad ipsam summam Authoris recurrere possit. Exiguum opus est, fatemur, sed magnæ tamen vtilitatis, quod nemo diffiteri debet. Rigidus est stylus, sed dilucidus tamen sensus; pleraque breuiter expedita, sed tamen sufficienter expressa. Magna paruis, protensa breui repræsentamus spatio, non aliter quam Phydias statuarius ille, qui tanto artificio, & dexteritate scutum Palladi elaborauit, & in paruo tam magna coarctauit spatio, vt insignem Amazonum victoriam Thesei in extremis scuti depicti magnanimitate comparatam repræsentarit, vexillum Gigantum contra deos expansum, certamen Ducum belli, & Centaurorum equis insidentium, Pandori Genealogiam cum triginta deorũ iam iam nascentium figuris, inter quas erat vna Victoriæ adinstar deæ prorsus diuinæ, &, quod omnium maius est, seipsum a Pallade deportandum diuersis in partibus, aut in vno potius,

tius,

tius, eodemque loco simul expresserit. Aut sicut Myrmicides, qui, si Plinio credimus, currum tantæ exiguitatis absoluit, vt ala muscæ tegeretur; & nauim, quæ vnius apiculæ pennis absconderetur. Vel sicut Callicrates, qui pari industria currus formicæ magnitudine conficiebat, integrosque Homeri versus sub exiguo sinapis grano describebat. Qualecumque tandem opus sit, id vestris Reuerentiis, & Dominationibus eo quo possumus affectu, & humilitate deferimus, vtpote iis, quibus ea materiæ ratio maximè congruit, in quorum præcipuè fauorem indulta sunt, quæ recensentur priuilegia, quorum denique dignitas, & officium Quæstionum Decisiones inibi contentas sæpe requirunt. Humiliter oblatum beneuole recipiant: nam sicut, licèt exiguum sit, magnas tamen concludit materias, ita magni quoque erga Reuerendas Dominationes vestras affectus, & reuerentiæ fidele symbolum est, &

tessera. Datum Valencenis, in Conuentu nostro Fratrum Minorum Recollectorum, hac xxiij. Iulij. 1616.

IN-

INDEX CAPITVM

locupletissimus.

A

B

C

D

E

F

G

H

I

Iu-

No-

N

O

P

Pro-

Syn-

FINIS.

CENSVRA.

COmpendium hoc Quæſtionum Regularium Reuerendi, atque doctiſſimi P. Emanuelis Roderici, per quoſdam Patres Recollect. Prouinc. Diui Andreæ in Aphoriſmos facillimo ordine compilatum, diligenter legi, & perluſtraui, nihilque in eo, quod aut Catholicæ fidei aduerſum ſit, aut bonis moribus diſſonum, reperi: quare in omnium vtilitatem, Regularium inprimis, à quibus diu deſideratum eſt, cenſui prælo poſſe mandari. Datum Valencenis, 6. kalend. Maij, anno 1616.

Aegidius le Duc, Cenſor ordinarius.

LICENTIA MINISTRI Prouincialis.

EGo F. Petrus le Martre, Ord. Min. Regul. Obſeruantiæ Prouinciæ D. Andreæ humilis Miniſter, vt Compendium hoc R. P. Roderici per quoſdam Patres Recoll. noſtræ Prouinciæ accuratè elaboratum, & concinna methodo, atque ordine diſpoſitum; necnon Viſitatoris ordinarij cenſura approbatum, iuxta ſacros Canones, Ordiniſque ſtatuta rite, & legitime typis excudi poſſit, noſtram ad id facultatem per præſentes concedimus. Datum Valencenis in noſtro Conuentu Fratrum Minorum Recollect. pridie Nonas Maij, anno 1616.

F. Petrus le Martre, Miniſter Prouincialis.

APPROBATIO

Reuerendiſs. Patris Inquiſ. Generalis Venetiarum.

Compendium Quæſtionum Regularium F. Emanuelis Roderici, Lugduni impreſſum, facultate mihi à Reuerendiſs. P. Inquiſitore Venetiarum, ad id facta, vidi, illudque dignum iudicaui, vt hic denuo imprimatur, cum nihil quod Catholicæ fidei, vel bonis moribus aduerſetur, contineat. Aduerterim tamen Pium Lectorem, vt conſulat quæ de myſterio puriſſimæ Conceptionis Dei Genitricis, de Indulgentijs Regularibus conceſſis, & de Regularibus moniales inuiſentibus, & alloquentibus, abſque facultate à Summo Pontifice, & proprijs Ge-

Generalibus habita, Santissimus Paulus V. & Sacra super Episcoporum, ac Regularium negotia Congregatio, post Auctoris Summam in lucem editam, decreuerint.

Ex Domo Santi Nicolai Tolentinatis Venetiarum VIII. Idibus Nouemb. M. DC. XVIII.

D. Io. Baptista Magnauacca Cremonensis Theolog. Cler. Regul.

Fr. Io. Domin. Vignut. Magist. Gener. Inquisit. concessit typis, visa approbatione.

QVÆSTIONVM Regularium R. P. F. EMANVELIS RODERICI COMPENDIVM

Ordine Alphabetico per Aphorismos digestum.

ABBAS.

Vide Agere, Alienare, Altaria, Beneficium, Benedicere, Sepultura, Studium.

Benedictio Abbatis non est iterabilis, sicut nec multa Sacramentalia, vt benedictio nuptialis, &c. Secus est de benedictione Abbatissæ longè minori, &

 simpli-

simpliciori: hæc enim mutato Monasterio licitè iteratur, secundùm Bonifaciũ, qui fuit Auditor Rotæ, & Felinum. tom. 1. quæst. 12. art. 3.

Benedictio Abbatis non est adeò necessaria, quin sine ea electus omnibus & singulis honoribus, præeminentijs, priuilegijs, prærogatiuis, iuribus, & insignijs Abbatialibus, benedicto competētibus, gaudere queat, ex concessione Eugenij IV. & Iulij II.

Imo & minores Ordines conferre, nō secus, quàm si illi benedictionis munus fuisset impensum, ibidem art. 2. & 4.

Potest Abbas populum solemniter benedicere in Ecclesijs sibi pleno iure subiectis; alijs autem in locis non, nisi ex priuilegio speciali, quæst. 18. art. 1.

Et minores Ordines, nō obstante desuetudine, etiam longi temporis, ex concessione facta Cisterciensibus conferre, sed subditis tantùm, vt resoluit Concil. Trid. ibidem.

Vnde si Monachus etiam cum licentia proprij Abbatis, ab alio ordinetur, licet characteren recipiat, non consequitur tamen liberam suscepti Ordinis executionem.

Innocentius VIII. dedit etiam aliquando prædictis Cisterciensibus facultatem Diaconatum, & Subdiaconatum con-

conferendi; sed hoc postea reuocauit Concilium Tridētinum, ac proinde nequeunt vti hoc priuilegio, vbi Decreta Concilij sunt recepta, art. 3. & 4.

Possunt tamen vbique dare suis subditis dimissorias, eosque mittere ordinādos ad quemlibet Episcopū, prout concesserūt Leo X. & Paul. III. Id enim non est contra Concil. sacra Cardinaliū Congregatione ita declarante, art. 5.

Abbas cōmendatarius perpetuus omnia illa in actibus capitularibus licitè exequitur quæ proprius; quandoquidem sit verè Prælatus, tom. 2. quest. 52. art. 8.

Quamuis iuxta mētem Concil. Trid. non deceat talem præfici, qui nō est professus in eodem Ordine, art. 9.

ABBATISSA.

Vide Eligere, Suspensio, Visitare.

ABbatissa non dicitur Prælata, cùm sit incapax iurisdictionis spiritualis. Et hinc fit, quòd nequeat suis præcepta spiritualia imponere, vt Prælati Religiosorum, sed tantùm ciuilia, sicut matres familias. Et idem est iudicium de alijs matribus Sāctimonialibus præfectis, tom. 1. quæst. 12. art. 2.

Promissa obedientia sororum, intelligitur secundùm potestatem Abbatissæ, quæst.15.art.1.

Abbatissa ex iure communi debet habere, antequam prǽficiatur, 40. ætatis, annos, & 8. professionis, vel saltem excedere 30. ætatis, & 5. professionis, ex Cōc. Trid. Idem censendum de Priorissa, vel quocumque alio nomine Præfecta, vel aliàs Præposita cuiuscumque Monasterij Monialium, art.3.

Abbatissa perpetua benedicitur, non autem triēnali, quæst.12.art.3.& quæst. 16.art.3 4.& 5.

Vtraque tamen est incapax potestatis clauium, & spiritualis iurisdictionis propriè sumptæ: vnde infringens interdictum, vel suspensionē per illas latam, nō sint proprij nominis censuræ. Potest tamen esse capax iurisdictionis spirituali similis, vt regendo suas Moniales, instituendo Clericos in Ecclesiis sibi subiectis, suspendendo ab officio, & beneficio, substrahendo præbendas, & lato modo interdicendo, quęst.17.art.22. & tom.3.quæst.65.art.5.

Obligatque eius præceptum, in materia sufficienti, claricos ad mortle, tom.3, quæst 65.art.5.

Nullo iure conceditur Abbatissis, vt dispensent in votis suarum Monialium, aut

aut ea commutēt (licèt id possint omnes Prælati) quia carent spirituali iurisdictione: sed bene vt ea irritent, cùm maiorem potestatem dominatiuam habeant in illas, quam pater in filios, aut maritus in vxorem, vt notat Episcopus Angles: nec peccant, si sine sua licentia emissa irritent absque causa, sicut nec petentes dictam irritationem, quæst. 25. art. 7. tom. 1.

Monialis corrupta nequit eligi in Abbatissam absque dispensatione Papæ, secundùm Calderinum. quæst. 64. art. 4.

Quamquam illegitima sine vlla dispēsatione & eligi, & præfici valeat, prout tenet communior Doctorum sententia. quæst. 13, art. 22.

Et quamuis opus esset dispensatione, illam sine controuersia possent Generales & Prouinciales Mendicantium concedere, ibidem.

ABSOLVERE

Quoad Fratres.

CLemens Papa IV. concessit Generali, & Prouincialibus Fratrum Minorum, vt possint absoluere Fratres suos, non tantùm subditos, sed etiam

forenses, ab omnibus censuris excommunicationis, suspẽsionis, & interdicti, etiamsi eas incurrerint in contemptum clauium, idque ante vel post ingressum Religionis, & dispensare in irregularitate contracta ob celebrationem in aliqua censura, nisi adeò graues & enormes fuerint excessus, vt meritò ad Sedem Apostolicam sint destinandi.

Peccat autem in contemptum clauium, qui non vult se submittere Ecclesiæ authoritati, credit tamen Ecclesiam habere eiusmodi authoritatem, vt post Diuum Thomam, & alios resoluit A Castro, tom. 1. quæstio. 20. articul. 1. & 15.

Item dicti Prælati possunt a Confessoribus, quos elegerint, ab omnibus, a quibus ipsi absoluendi alios iurisdictionem habent, absolui, ibidem, artic. 15.

Præterea absoluere possunt Fratres nominatim excommunicatos, (si parti satisfecerint) tam in foro exteriori quàm interiori, vt declarauit Pius Quintus, art. 6. etiam extra forum sacramentale, art. 7.

Sixtus Quartus declarauit destinandos ad Sedem Apostolicam, pro absolutione, solos hæreticos relapsos, schismaticos, falsificatores literarum Apo-sto-

stolicarum, & deferentes arma ad infideles. Nec dictum priuilegium fuit reuocatum per publicationem Bullæ Cœnæ. art.9.

Possunt etiam dicti Prælati subditos suos absoluere ab iniectione manuum violenta in Clericum, etiamsi sit Sedi Apostolicæ reseruata, aut in claustro vel extra facta, art.12.

Verum est tamen, quòd secluso omni priuilegio, facultatem non haberent absoluendi a crimine hæresis etiam occultæ, quamuis hæc potestas penes Episcopos propter munus inquisitionis resideat, art.10.

Nec hodie etiam a peccato ex simoniaca promotione ad Ordines contracto, aut cẽsura inde secuta, ob rigorosam Bullam Sixti V. contra malè promotos, quæ reuocat circa hoc antea concessa, art.13.

Nec regulariter a peccatis in confidentiam priuilegiorum cõmissis, id est, quando ipsum piuilegiũ est propriè subdito causa positiua peccati, nisi imminet periculum aliquod spirituale: si verò solùm tollat sollicitudinem, qua præcauerentur peccata, valida est simpliciter absolutio, art.16.

Episcopi possunt per epicheiam alicui delegare potestatem absoluendi Monia-

lem ab hæresi occulta, licet id sit contra Concilium Tridentinum, vel eam absentem absoluere ab excommunicatione, demandata alteri cura eandem absoluendi a peccato nulli reseruato sublata censura, art.11.

Eandem habent potestatem Prælati circa nouitios Ordinis, quam ipsos professos, art.21. & sorores sibi commissas, art.22.

Item & circa earum Nouitias, art.23. necnon seruitrices Religiosas, seu Conuersas professas manẽtes extra claustra, art.29

Formam absolutionis antiquam, qua Prælati solent extra confessionem absoluere Fratres ab omnibus censuris & pœnis, approbauit Clemens VIII. in Bulla Infirma mundi ætas, anno 1592. Quod intellige a pœnis debitis peccatis, artic. 26.

Absolutio facta virtute priuilegii ignorati valet per regulam iuris dicentem: Si non valet quod ago, vt ago, vleat vt valere potest, sic enim est interpretanda, art.25.

Nulla consuetudine introduci potest, vt Religiosus sine sui Superioris licentia eligat sibi Confessorem, a quo absoluatur, quod tamen Prælatos Ordinis, putà Generales, Prouinciales, Priores, &

Guar-

Guardianos non comprehendit, artic. 28.

Episcopi habent de æquitate facultatem absoluendi Fratrem exemptum egentem absolutione, deficiente Prælato proprio, in permissis tamen casibus circa suos subditos tantùm, non autem illis qui conceduntur Superiori eiusdem exempti in eumdem, art. 29.

Absolui Fratres quomodo possunt. Vide Reseruatio casuum.

COncilium Tridentinum adhortatur omnes Regulares ad Confessionem, & Communionem singulis mẽsibus faciendam, tom. 1. quæst. 62. art. 1. Ad Confessionem autem venialium tenentur tantum ex decentia sui status, ibidem.

Statutum in quibusdam Ordinibus obligans Fratres ad singulis annis semel omnia peccata sua aliàs confessa suo Prælato detegendum, laudabile est; non tamen obligat sub mortali, art. 2.

Similiter statutum aliquorum Ordinum præcipiens, vt saltem semel in vita fiat Confessio generalis, a multis Pontificibus cõfirmatum, & commendatum est, art. 3.

Fratres admissi à suis Prælatis ad Cõfessiones Fratrum audiendas, non censentur admissi ad Confessiones Monialium, art.4.

Religiosi etiam itinerantes nequeunt cõfiteri Religiosis sui Ordinis, nisi a suis Prelatis licentiam habuerint ad Confessiones audiendas, ibid.

Fratres itinerantes licitè confitentur cuicumque Sacerdoti idoneo etiam sæculari, de licentia tamen expressa suorum Superiorum, secundùm Syluestrum; vel saltem rationabiliter præsumpta, prout tenet Angles, aliàs non, artic.5.

Omnes Fratres & eorũm priuilegijs gaudentes possunt absolui semel in vita, & in mortis articulo, & quater in anno diebus quibus maluerint, ab omnibus prorsus peccatis & censuris; & Confessor, ac si esset actu Pontifex, impartiri plenariam indulgentiam per Sixtum Quartum. Hæc Indulgentia licèt semper sortiatur effectum in credito articulo mortis, data tamen semper reseruatur pro vltimo articulo, ex Eugenio Quarto, neque ad hoc obest defectus linguæ aut morbus lethargia dictus, sic declarantem Nicolao Quinto, & valet talis absolutio etiam a Sacerdote sæculari impensa, art.6.

Est

Est autem articulus mortis, in quo probabiliter timetur, aut speratur mors a medicis, seu ab alijs viris cordatis, etsi non sequatur. Ita Abbas, Nauarrus, & alij, art. 7.

Virtute dictorum priuilegiorum absolutus in articulo mortis, non tenetur, si non decedat, peccata reseruata iterum Superiori confiteri, art. 8.

Iisdem priuilegiis gaudent Moniales sanctæ Claræ, quibus prædicti Fratres quoad absolutiones plenarias & Indulgentias certis diebus, & vicibus consequendas, necnon dispensationes votorum ex leuitate fœminea emissorum, non minus quàm si sua Sanctitas illas absolueret, aut cum eis in prædictis dispensaret, ex Leone Decimo, artic. 10.

Vltra vero prædictos dies absolui possunt Fratres, & Sorores Sanctæ Claræ sub obedientia Fratrum Minorum de Obseruantia viuentes, plenariè ab omnibus peccatis, & censuris, in Festis Domini Sabaoth, Beatæ Mariæ, Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, Sancti Francisci, Sanctæ Claræ, Sanctæ Catharinæ, ac omnium Sanctorum, & per totam Hebdomadam Sanctam, de licentia suorum Superiorum, art. 10. & 12.

Nota, quòd in omnibus istis absolutionibus, nec quoad Censuras in foro conscientię, neque quoad Indulgentias, sed tantum quoad casus reseruatos Superioribus Ordinis, requiritur consensus Superiorum, art. 11.

Obserua etiam id, quod Fratribus Minoribus concessum est pro suis solemnitatibus aliis Religiosis mendicantibus, & eorum Priuilegiis communicantibus pro suis Festiuitatibus concedi; verbi gratia, Dominicanis in diebus Sancti Dominici, & Sanctæ Catharinæ de Senis; Augustinensibus diebus Sancti Augustini, & Sanctæ Monicæ, nostris Sancti Francisci, & Santæ Claræ, artic. 10.

Absolutio quoad seculares.

RELigiosi præsentati secundum formam Clementinæ Dudum, eandem habent potestatem, quam Curati a iure, vnde possunt absoluere omnes ad se venientes ab omnibus casibus iure nō reseruatis, cum enim exempti sint ab Episcoporum iurisdictione, nequeunt Episcopi eorum restringere authoritatem, sed bene Parochorum, to. 1. quæst. 61. art. 2.

Per

Per priuilegia Summorum Pontificũ concessa est facultas Religiosis sic præsentatis absoluendi ab omnibus peccatis, & censuris iure communi Episcopis reseruatis, nec non dispensandi in votis, in quibus ipsi possunt, art. 3. & hoc tam in suis Conuentibus, quàm extra, articulo 4.

Immo per Bullam Pauli Tertii datam Patribus Societatis IESV, & per communicationem ad instar aliis Regularibus, possunt Mendicantes absoluere ab omnibus casibus etiam Papæ reseruatis, exceptis Bullæ Cœnæ Domini, art. 5.

Et præterea absoluere ab omnibus excõmunicationibus tam a iure quàm ab homine etiam specialiter, & nominatim latis, satisfacta tamen parte, aut præstita sufficienti cautione, quia his positis, censentur rationabiliter Iudices authoritatem cõcedere Religiosis iurisdictionem delegatam habentibus absoluendi ab excommunicatione a iure, & ab homine, art. 6. & 7.

Et hoc non solum in foro poli, sed etiam in foro fori, & extra Sacramentum, vt doctè resoluit Nauar. & optimè declarant verba cuiusdam Bullæ Pij V., datæ in quodam Iubilæo anno Domini 1568. si bene perpendantur. Nec obstat,

quòd priuilegia habeant (auditis ipsorum confessionibus) quia intelliguntur secundum dispositionem iuris, vt nimirum absolutio peccatorum fiat in confessione; censurarum autem fieri possit extra Sacramentum Pœnitentiæ, prout tenet Armilla, & Ledesma cum communi, art.7.

Rectè tamen notat Nauarrus, vt fidem faciat Confessarius, tradere debere absolutio scedulam coram Notario, & testibus, ab eodem Notario subsignatam, art.6.

Item absolui possunt percussores Clerici in casu saltem ad Episcopum pertinente, dummodo satisfactio manifesta præmittatur, si sit possibilis, quia alias sufficeret cautio realis, aut iuratoria, artic. 8.

Prælati Regulares licet eandem potestatem habeant in suos inferiores, quã Episcopi in Diœcesanos, nihil tamen attentare debent circa seculares in casibus speciali iure commissis Episcopis, vt sunt nonnulla expressa in Conc. Trid. ses. 24. c.6. art.9.

Ad prædictorum intelligentiam notandum ex præposito triplex esse forũ, contentiosum, pœnitentiæ, & medium, scilicet conscientiæ, quod a foro pœnitentiæ distinguitur, quia in eo potest es-

se

se Iudex tam non Sacerdos, quàm Sacerdos, & absolutio facta in eo, fit in salutem animarum, vt valeat coram Deo, & non coram Ecclesia, ex Couarruu. art. 10.

Supradicta priuilegia quorumcumque Regularium, quoad absolutiones secularium fuerunt reuocata per Concil. Trid. prout declarauit Sacra Congregatio Cardinalium, super sess. 14. Et ita etiam declarauit ex sententia Congregationis summus Pontifex anno 1577. Sed post dictam declarationem, Greg. XIII. anno 1583. declarauit non esse suę intentionis per talem reuocationem derogare Societatis facultati, eamque, quatenus opus sit, de nouo confirmauit, art. 13. Et per communicationem alij Mendicantes hac concessione securè vti possunt, ibid. q. 55. ar. 17. Vide Communicatio priuilegiorum.

Tenent multi Doctores, Regularem non præsentatum secundum formam Clementinę Dudum, absoluentem seculares ab excommunicatione minori, a qua ille solus absoluit, qui a mortalibus absoluere potest, incidere in excommunicationem dictæ Clementinæ; verumtamen contraria opinio magis recepta est, q. 61. to 1. ar. 11.

Religiosus absoluens a culpa, & a pęna;

na, quod idem est, ac dare Indulgentiã plenariam sine speciali priuilegio sibi actiuè, aut passiuè pœnitenti concesso, incidit in excommunicationem cuiusdam Clement.art.12.

Per Bullam Cruciatæ non tolluntur priuilegia Regularium realia concernentia non personas, sed Ordinem; vnde eis liberè vti possunt erga non habentes illam Bullam, etiam in iis locis, vbi publicatur: sed ea vtentes priuantur omnibus aliis gratiis personalibus, ar.14.

Ad cognoscendum an aliquod priuilegium sit reale, aut personale, debet attendi ad qualitatem negotii, quod conceditur, & ad causam ipsius concessionis, ibid.

Regularis, habita iusta causa, potest non vti aliquando priuilegio, & pœnitentem remittere ad Superiorem tam pro absolutione peccatorum, quam censurarum, cum mens Pontificis concedentis priuilegium sit, vt prouideatur saluti animarum, nec ipsi pœnitenti confessio fiat iniuria, cuius conscientiæ bonum hoc modo quæritur. Si autem causa desit, & quidem negando dispensationem peccat ad minùs venialiter; si verò absque ratione peccatorum confessorum absolutionem dare nolit, grauiter delinquit, & hoc quia sic onus con-

fessio-

feſſionis graue efficeretur. At uerò Epiſcopus ſub obligatione præcepti ex officio proueniente, ſemper ad id tenetur, art. 15.

ACCVSATIO.

CONſtitutiones Religionum concedentes Prælatis, vt ſine accuſatore ſecretò, aut publicè puniant ſuos ſubditos, intelliguntur de leuioribus: in grauioribus enim tenentur ſeruare ordinem iuris, cui non renunciant Fratres; nec procedere poſſunt ſine præuia accuſatione, etiam contra conuictos, niſi culpa ſit commiſſa in præſentia Prælati coram teſtibus, vel contra reum adſint infamia, & indicia: tunc enim procedere poteſt per viam inquiſitionis; aut niſi velit procedere non vt Iudex, ſed vt pater, tom. 2. quæſt. 7. ar. 2 & 3.

Nullus accuſare, aut denunciare tenetur propter iniuriam ſibi illatam, licet non ſit illicitum id facere; debet tamen quilibet denunciare crimen damnoſum Reipublicæ, ſi adſunt teſtes, quibus probari ſufficienter queat. Imò quandoque accuſare, ſi notabile ſit damnum Reipublicæ, art. 4.

Iudex etiam inferior accusationes nõ iuridicè propositas potest, & aliquando debet rescindere, sicut non admittere: accusationem tamen iustam, ad compensandam iniuriam tertio illatam propositam minime rescindere potest, ar. 6.

Licèt denuncians non teneatur ad probationem, nec incurrat pœnam talionis, si in probatione causæ deficiat, sicut accusans: peccat tamen mortaliter denunciando iudicialiter, prævidẽs probabiliter defuturam iuridicã probationem, art. 8. & q. 6. art. 9.

Quomodo accusans, & accusatus debeant esse eiusdem fori, & alia quædam etiam Clericis communia prosequitur prædicta q. 7.

AGERE.

Licèt Monachus nihil habens proprij, nec agere, nec conueniri possit, hoc tamen fallit, quando est in studiis de licentia suorum Superiorum: tunc enim omnia illi licent, sine quibus in studio esse commode nequit: vnde licet iure prohibeatur Monachus agere contra Abbatem, tunc nihilominus licitum est illi, saltem implorando iudicis officium, vt sibi sumptus necessarij subministrentur, to. 3. q. 67. art. 6.

Quòd

Quòd si Syndicus Fratrum Minorũ agat nomine Papæ pro Conuentu, & succumbat, verisimiliter potest ad expẽsas condemnari, cum vt talis habeat aliquid proprij, ibidem.

ALIENATIO.

Vide Procurator.

ABbates,& alij Prælati Conuentuales, qui non habent omnimodam iurisdictionem, nec Monarchicam administrationem rerum Monasterij circa alienationes,non possunt vllo modo siue ad tempus, siue ad semper, res mobiles aut immobiles alicuius momenti absque euidenti necessitate, aut vtilitate Conuentus,& consensu communitatis Capitulariter congregatæ,in scriptis obtento, alienare sub pœnis excommunicationis, & suspensionis ex iure communi, alias ius non transfertur,nec acquiritur dominium, sicut nec è contra potest Conuentus quidquam alienare sine expresso Superioris consensu, tom. 1. q. 27. ar. 2.

Priuilegio facto Cistertiensibus omnẽ eiusmodi alienationem etiam cum dicta solemnitate factam Generalis Ordinis habita causæ cognitione confirmare, & in-

inualidare potest; secundum quod priui legium sunt intelligenda multa alia concessa diuersis Ordinibus tam virorum, quàm feminarum, quibus illis licet alienare etiam testamento legata, non obstāte voluntate testatoris, ibid.

Ex priuilegio amplissimo Patrum Societatis IESV, Generali pro tempore existenti, vel Capitulo item generali concessa est rerum omnium Collegiorum eiusdē Societatis dispositio, habita summariè tantum causæ cognitione, non obstante contradictione proprii Conuentus; vnde licitum est illis renunciare iuri, pro quo aliquis conuentus litigat; & legato nondum tradito, si expedire iudicet. Quod priuilegium aliis etiam Ordinibus communicatur, quamquam in eis sufficiat consensus Prouincialis, artic. 3.

Hæc tamen fallunt in Ordine Fratrū Minorum, in quo Prælati nullam omnino habent facultatem alienandi, sed eorum duntaxat Syndicus, qui nomine Papæ de voluntate, & iudicio Prouincialis, ac Conuentus eandem habet authoritatem ad alienandum, quam alii Prælati Couentuales aliorum Ordinum; vnde de bonis communitatis habito consensu ministrorum potest parentibus, aut amicis alicuius Fratris aliquid donare,

nare, at.6. Vide Procurator.

Alienatio rerum Monasterii facta cũ eius notabili læsione,& sine solemnitatibus iuris, vt supra, nulla est saltem in foro Ecclesiæ, & obligat emptorem ad restitutionem etiam fructuum, nec contra talem rem præscribitur, licet bona fide emptam, art.10. nisi post centum annos, to.3.q.56.ar.1.

Graues pœnas statutas a Clemente V. & Paulo II. in malè alienantes res Ecclesiasticas, & eos, quibus alienantur, vide art.13.

ALIMENTA.

MOnacho relegato in aliud Cœnobium ob delictum inter possidentes tenetur subministrare alimenta Monasterium, cui acquisiuit, vel attulit bona: at si nihil attulerit, tenetur Superior, cui subiectus erat, dum deliquit. In Ordine verò Fratrum Minorum tenetur Guardianus Conuentus, ad quem relegatur, tom.2. quæstio. 24. art. 2.

AL-

ALTARIA.

Vide Missa.

MEndicantes postquam bis, aut ter Episcopum Diœcesanum rogarint pro consecratione suorum Altariũ, si Episcopus, aut Sedes vacans ad id licentiam dare noluerit, possunt alium quemlibet Orthodoxum Antistitē adire ex priuilegio Sixti V. non reuocato per Conc. Trid.

Sufficit tamen, quòd superior mensa ipsius Altaris, seu Ara, super quam fit consecratio, & reponitur Corpus, & Sanguis Domini nostri IESV Christi, sit lapidea, & habeat eam latitudinem, vt possit capere hostiam, & maiorem partem calicis, to. 1. q. 28 ar. 1.

Abbates Cistertienses ex concessione Innocentii VIII. accepto Chrismate ab Episcopo, possunt in suis Ecclesijs tãtum Altaria consecrare, nullo tamen modo pro alijs sine expressa licentia Episcopi. Ex Conc. Trid. art. 2.

In partibus Indiarum Prouinciales Patrum Iesuitarum, & Fratrum Minorum nec non ij quibus ipsi commiserint, Sacramentum Confirmationis fidelibus mini-

ministrare, & benedicere Calices, & Altaria possunt etiam, pro vsu alieno. Ex concessione Adriani VI. & Leonis X. ibidem.

Mendicantibus itinerantibus concessum est celebrare in locis honestis in Altari portatili, per plura priuilegia, quæ non reuocat Conc. Trid. Licet velit vt id Episcopi prohibeant, non obstantibus quibuscumque priuilegijs, ac proinde illis scientibus, & non prohibentibus saltē in foro conscientiæ licet art. 3. Sine præiudicio Ecclesię Parochialis, quod iuxta declarationem Sixti IV. in duobus consistit in exactione decimarum, & primitiarum, to. 2. q. 75. art. 1.

Olim fuit permissum ab Alexandro VI. & Vrbano V. Regularibus erigere Altaria in suis grangiis, cellariis, & infirmariis ad celebrandum, & diuina peragenda: sed Conc. Trid. Episcopis mandat, vt non permittant Missam celebrari extra Ecclesiam, in domibus priuatis, per quod non intelliguntur Oratoria, Capellæ, Altaria portatilia, in grangiis vel infirmariis Monasteriorum, cum non sint omnino extra Ecclesiam: nam veniunt intelligenda nomine Ecclesiæ, ibidem.

AP-

APPELLARE.

FRatres mendicantes ſub pœna excommunicationis prohibentur a Iulio II. appellare: quod intellige ſeruatis ſtatutis Ordinis cum debita maturitate, & deliberatione; nam ſi Superior malè procedat, aut excedat modũ correctionis, permiſſum eſt eis iure naturali; cui non contradicit Canonicum: & ſi diffugium appellationis eis eſſet interclusſum, licitum eſſet vti remedio defenſionis, quæ eſt quædam ſpecies appellationis, & eſt iuris naturalis, quia non debet eſſe peioris conditionis quàm alii, nec hoc derogat ſtatui perfectionis eorum, ſi fiat religioſo modo differenter a ſecularibus, vt dicitur in iure, to. 1. q. 29. ar. 2.

Gregorius XIII. ſub excommunicatione Papali prohibuit Fratribus, ne ad ſecularia Tribunalia appellent, ſed ad ſuos Superiores gradatim vſque ad Papam, & hoc non eſt prohibitum per Conc. Triden. ſed tantùm ne Religioſus ad maiorem Superiorem recurrat, niſi ab eo vocetur, aut a minore licentiam obtineat, art. 3.

APOSTASIA.

Vide Claustrum.

SOlet triplex assignari apostasia, a fide efficiens hereticum, ab obedientia Ecclesiæ efficiens schismaticum, & a religione, seu Ordine. Vltima requirit egressum a Conuentu cum dimissione habitus ad semper; ac proinde è Monasterio egressus etiam dimisso habitu, vel illo retento cum proposito aliquando redeundi, aut strictiorem, vel laxiorem Ordinem intrandi excommunicatus quidem est, diciturq. fugitiuus, sed non incurrit alias pœnas, & inhabilitates apostatis proprias, to.1.quæst.30. art.1.

Resoluit item Sacra Congregatio, ferentem habitum occultè non esse propriè apostatam, nec incurrere aliam pœnam, quàm excommunicationis, art.2.

Immo nec vllas pœnas incurrunt qui notabiliter læsi a suo minori Superiore non possunt ab eo licentiam obtinere conueniendi maiorem: talibus enim permissum est iure appellationis eos adire absque licentia, cum non intendat Concil. Trident. sess. 25. de Reg. c. 4. tam

notabiliter lædere Fratrem, maximè si constat de iniustitia grauaminis: nam hoc admodum consonum est iuri naturali, & idoneum ad hominum malitiis obuiandum, art. 3.

Episcopo, iuxta Concil. Trident. licet procedere contra apostatas fugitiuos, & vagantes Regulares sine vel cum habitu, in suo territorio. Quod intelligendum est, si iniustè faciant, non autem si cum causa, quamuis literas obedientiales minimè habeant, ibid. art. 4.

Tenentur Prælati, & Conuentus capere, ac detinere apostatas, & fugitiuos vbicumque, etiam in Curia Romana, inuentos, siue dent operam rei licitæ, siue illicitæ; nisi timeatur damnum, aut scandalum obuenturum ex consortio aliorum cum tali oue pestifera. Imò possunt illos incarcerare, & excommunicare, ad hoc inuocato (si opus sit) auxilio brachij sæcularis, non tantum sibi subditos, sed etiam quoslibet alios eiusdem Ordinis, per multa priuilegia, art. 5. & 6.

Detinentes, aut fauorem præstantes apostatis fugitiuis, & vagabundis, vt talibus, sunt ipso iure excommunicati, etiamsi sint clerici ex concessione multorum Pontificum. Secus est, si solius amicitiæ gratia illos detineant, art. 9. Dicti fugitiui non quidem de rigore iusti-

tiæ,

tiæ, sed de æquitate religionis, nō solum si redeant sunt recipiendi, sed omnibus modis procurare debent Superiores eorum salutem, cōcedendo eis facultatem transeundi ad alium Conuentum, vel Prouinciam eiusdem Ordinis, vel etiam ad æqualem, vel laxiorem Ordinem, vt sic perditis prouideatur, exemplo Christi, tam anxiè, & sollicitè ouem vnam perditam quærentis, art. 10.

Bona a regulari acquisita in apostasia modo licito secundum iustitiam moralem; at illicito secundum Canones, v.g. per officia publica, beneficia Ecclesiastica, seruitia in curiis Principum artes mechanicas, negotiationem, &c. si decedat in Ordine, sunt monasterii ad quod reuertitur, potestq. de iis disponere Superior, & Syndicus, sicut de legatis piis: si verò moriatur extra Ordinem, sunt Cameræ Apostolicæ, art 11.

Cum acquisita cōtra sacros Canones a clericis, & regularibus, veniant nomine spoliorum, art. 13.

Nec possunt creditores esse molesti Monasteriis dictorum apostatarum, ab eis petendo, & extorquendo debita ab illis contracta, nisi id, propter quod debitum contractum fuit, conuersum sit in vtilitatem ipsorum monasteriorum, art. 11,

BAPTIZARE.

CVicũque regulari etiam Fratri Minori, deficiente alio Sacerdote, in extremis baptizare cõceſſum eſt, quamuis adſint alij ſeculares, qui id facere poſſent, nec hoc interdicitur in Regula Fratrum Minorum. to 1. q. 31. art. 1.

Extra caſum autem neceſſitatis ob iniuriam Parocho factam, & prohibitionem iuris, quamquam peccatum ſit baptizare, non incurritur nihilominus vlla irregularitas, vel cenſura, cùm nullibi in iure exprimatur, ſicuti expreſse habetur de miniſtrante Euchariſtiam, Matrimonium, & Extremã vnctionem: quinimmo nullum erit peccatum, ſi fiat cum licentia ipſius Parochi, ibidem, & articulo 3. & quæſt. 56. art. 1.

In Indijs ſecundùm priuilegia permiſſum eſt Mendicantibus baptizare nouiter conuerſos in ſuis Eccleſijs, & extra in locis ad id deputatis; non tamen in Parochijs; & vti veteri Chriſmate vſque ad quartum annum incluſiuè, ſi nonum haberi nequeat, omiſſis ceremonijs ordinarijs ob Miniſtrorum paucitatem, cùm id ad maius Dei obſequium expediens iudicatur, art. 3. 4. 5. & 6.

BENEDICERE.

Vide Altaria, Abbas, Abbatissa.

DOcuit Angelus omnes simplices Sacerdotes secundùm ius commune posse omnia ornamenta Ecclesiæ benedicere, in quibus nō interuenit Chrisma: verùm approbata consuetudo, quæ vim legis obtinuit, habet oppositũ. Vnde Sixtus IV. licentiam concessit omnibus Sacerdotibus Ordinis Minorum, omnia ornaméta Sacerdotalia, & Altarium benedicendi, demptis Corporalibus; verumtamen hoc priuilegium nunquam fuit vsu receptum: hanc namque potestatem restrinxerunt Patres Ordinis in Concilio Generali ad solos Guardianos, art. 1. quæst. 19 to. 1.

In Indijs tamen per concessionem Gregor. IX. deficiente copia Episcopi benedicunt omnes Sacerdotes dicti Ordinis omnia prædicta cum Corporalibus. Et idem permissum est alijs Fratribus cum licentia Prouincialis; & licèt dicta facultas sit limitata per Capitulum generale pro Fratribus Minoribus, non tamen pro alijs, qui eorum priuilegijs

giis gaudent, v.g. Dominicanis, &c. ibidem.

Prælati regulares, eorumque vices gerentes, qui ad regimen instituuntur, & modo communiter Vicarij appellãtur, præsuntque in absentia Guardiani, &c. per multa priuilegia varijs Ordinibus concessa; licitè benedicunt Oratoria, Cœmiteria, Ecclesias, Corporalia, & alia quæcunque ad diuinum cultum pertinentia, vbi Chrisma non interuenit, non solum pro suis vsibus, sed etiam pro alienis, ex concessione Innocent. VIII. & expressa declaratione Congregationis Generalis celebratæ a Fratribus Minoribus Toleti apud Sanctum Ioãnem Regum, art. 2.

Immo in partibus Indiarum Prouinciales, & ij qui ab eis fuerint ad hoc deputati, habent facultatem benedicendi calices in absentia Episcoporum, art. 3.

Mendicantibus post Conc. Trid. interdictum est, ne petant consecrationem suorum calicum, &c. ab alieno Episcopo, nisi bis aut ter cum debita humilitate a proprio petierint, nec obtinuerint, art. 4. aut si nollet proprius id eis exhibere gratis, art. 5.

Item dicti Prælati recõciliare possunt suas Ecclesias pollutas, cum aqua benedicta cinere mixta, ab Episcopo benedicta,

cta, si Episcopus vltra duas dietas, id est, 14. leucas non distet: si verò longius distet, permissum est eis per Leon. X. eandem benedicere, art. 6.

Qui celebrat in Ecclesia polluta, quãuis mortaliter peccet, nõ incurrit tamen irregularitatem, ibid.

BENEFICIA.

Vide Episcopus, Claustrum.

BEneficium aliud est sæculare, aliud regulare. Regulare etiam duplex, compositum, vt est Abbatia regularis, & Prioratus Conuentualis, eo quòd qui ea obtinent, duplici honore funguntur, circa personas, & res. Aliud simplex, vt Prioratus simplex, & Monacharus regularis, quia illi simplici tantum honore funguntur.

Sæculare aliud cum administratione, vt beneficium curatum; aliud sine ea, vt beneficium simplex, to. 1. quæst. 34. art. 1.

Imitantur etiam nomen, & naturam quodammodo beneficiatorum, qui manualia (vt aiunt) beneficia habent, quæ tamen propriè beneficia non sunt, quia præfecti ijs beneficijs possunt amoueri ad nutum Abbatis, vel Prioris, art. 2.

Regularia beneficia Regularibus dũtaxat sunt conferenda, secularia secularibus tantùm, art. 3.

Supradicta solum pertinent ad Regulares possidentes, non autem ad Mendicantes incapaces beneficiorum, ob renunciationem omnis proprietatis; vnde in his Prioratus, Guardianatus, &c. sunt dignitates, & administrationes Ordinis, & Regulæ, non autem beneficia, ibid.

Nullus Regularis acceptare, nec per consequens procurare potest beneficiũ seculare sine consensu sui Superioris, aut dispensatione Summi Pontificis. art. 5. Vide Electio.

Admissus verò ad beneficium regulare, vel seculare nequit admitti in capitulis Generalibus, & Prouincialibus, seu cõgregationibus, negotijs, & officijs, aut alijs administrationibus Ordinis, nisi Generalis consensu interueniente, sub pœna excommunicutionis, quam admissus, & admittens ipso facto incurrũt, art. 5.

Regularis habens beneficium seculare cum dispensatione absoluitur ab obedientia sui Superioris, & ab omnibus, & solis obseruantijs, quás non potest commodè obseruare cum executione dicti beneficij; vnde numquam potest dimittere habitum, nec proprium habere, sed tan-

tantùm administrationem rerum sibi creditarum, art. 6.

Non potest Regularis cogi a suo Superiore, vt acceptet beneficium seculare: nam hoc est vel contra Regulam, vel, nisi dispensatio Papalis interuenerit, excedit potestatem Abbatis, qui solum potest præcipere ea quæ pertinent ad Regulam promissam: secus si beneficium cõmuniter haberetur a Monachis, quia tunc Abbatis præceptum esset secundùm ipsam regulam, artic. 8. Vid. Obedientia.

Si Regularis sit exemptus ab Abbate, vtpote quia habet beneficium alteri subiectũ, acquirit suæ Ecclesiæ, alias Monasterio. Quòd si dictum beneficium non sit Abbati pleno iure subiectum, nequit ipse Abbas eum cogere, vt ad claustrum reuertatur, vel illum amouere, vel præcipere, vt de pertinentibus ad idem beneficium, hoc vel illo modo disponat, art. 7.

BENEFACTORES.

Vide Hospitale.

BEnefactoribus, quà talibus, nequit quisquam molestus esse. Item nec in eos ferri potest excōmnicatio, ob conuersationem cum Fratribus iuxta plurium Pontificum indulta. Quòd si actu Fratribus ministrent, aut maneant intra septa Monasterij, sub obedientia Prælatorum, eximuntur ab Episcoporum iurisdictione, per Concil. Trid. to. 1. quæst. 33. art. 1.

Prælati Ordinis per concessionem Vrbani V. imò secundùm ius commune, vt probat Corduba l. 5. quæst. 7. & est communior; possunt concedere benefactoribus, quoad vim satisfactoriam & meritoriam, communicationem suffragiorū, indulgentiarum, & honorum spiritualium suorum inferiorum: eo enim ipso, quo curæ Congregationis præficiuntur, censentur habere authoritatem dispensatiuam communium bonorum Communitatis; nec per hoc minuitur valor operum ex pluribus communicantibus, quatenus sunt meritoria, sed bene quatenus sunt satisfactoria, sed nec ex hac

ap-

applicatione fit deterior Religiosorum, quàm aliorum conditio. art. 2. & 3.

Ad horum maiorem intelligentiam notandum, communium honorum Cõgregationis duplicem esse communicationem, satisfactoriam videlicet, & meritoriam. Satisfactoria numquam potest applicari cuiquã, nisi per expressam intenionem facientis, aut eius Superioris, Meritoria autem sine vlla intentione facientis applicatur omnibus in gratia existentibus, propter communionem Sanctorum, art. 2.

Licèt possit applicari alicui in particulari, cui proderit ad varia beneficia obtinenda per viam impetrationis de congruo, art. 3.

Prælatus, sicut & Papa, potest quoad vim satisfactoriã ea duntaxat Fratrum bona, quę aliàs cederent in thesaurum suæ Communitatis, vt sunt quę fiunt in communi, aut per iniunctionem Prælati, aut quæ fiunt intentione communi, vel superfluunt facientibus, nisi ipsi cõsenserint: habent enim solùm authoritatem dispẽsatiuam circa superflua. Quoad vim autem meritoriam, possunt omnia omnino, cùm inde nil detrimẽti accipiant inferiores, sed per hoc eorum cõditio melior euadat, art. 4.

Prælatus & subditus possunt quoad

ſæpe in foro Dei, a pœnitentijs ini unctis pro peccatis ob exiguitatem ſua m, quandoquidem hæc merita non ſint infinita. Et tandem indulgentia valet tantum ad ſatisfactionem pœnarum, hæc autem communicatio etiam ad impetrationem bonorum confert, art.7.

Ex dictis ſequitur, dictam conceſſionem non reuocari per Bullam Cruciatę, cum non ſit merum priuilegium, nec abrogari per Pium V. prohibentem quęſtuarias Indulgentias, cum hæc (vt dictum eſt) ab illis plurimum diſcriminetur, ibid.

BELLVM.

IN bello iniuſto exhortatio ad pugnā inducit irregularitatem, non autem in iuſto, in quo ob commune Catholicæ fidei bonum diſpenſat Ecclesia: licet talis exhortatio ſit cauſa multarum occiſionum. Nec refert, quòd tales occiſiones intendant virtualiter, modò non actualiter. Et ad tollendos ſcrupulos Gregor. XIII. declarauit poſſe liberè Ieſuitas hortari Hiſpanos in Indijs ad fortiter dimicandum ſine timore irregularitatis, dummodo non ferant arma, to.1. quæſt.32.art.vnico.

BO.

B O N A.

Vide Apoſtaſia, Benefactores, Beneficia, Exilium, Hæreſis, Monaſterium.

ALexander IV. conceſſit vt Fratres Minores egentes poſſint recipere bona malè acquiſita, & incerta relicta, & de ijſdem liberè diſponere, ſi eis offerantur, quando teſtatores, aut datores ignorant quibus ſunt reſtituenda; & etiam legata ad pios vſus relicta nullis determinatis perſonis, ſi eis executores applicare velint, non obſtante contradictione Prælatorum Eccleſiaſticorum, to.1.q.38.art.1.

Multi Pontifices indulſerũt Patribus Ieſuitis, inquit Collector referens conceſſionem Martini V. & aliorum Pontificum factam Fratribus Mẽdicantibus, vt poſſint acceptare quæcunque loca ſecularia, aut regularia, necnon Eccleſias, Eremitoria, & Monaſteria cuiuſuis Ordinis cum eorum bonis mobilibus, aut immobilibus, etiamſi forent ſtrictioris Obſeruantiæ, ſi pia legatione fidelium illa ſibi donari contigerit, & illi quorum intereſt, conſentiant, & eo ipſo Apo-

Apoſtolica authoritate perpetuo applicata, & appropriata eſſe cenſentur, ibidem.

Religioſis Societatis Charitatis conceſſit Leo X. vt poſſint bona Feudalia & Emphyteutica etiã Eccleſiaſtica acceptare, modò ad ea onera teneantur, ad quæ donator ſeu teſtator tenebatur occaſione illorum, & ad ea omnia quæ donator impoſuerit: & ſi ad certum numerum generationum conceſſa fuerint, Monaſterium poſſidebit toties viginti annis quot erant generationes, articulo 2.

Idem priuilegium per Celeſtin. V. cõceſſum eſt Monachis Celeſtinis, ſed eſt ſemper intelligendum, modo onus impoſitum ſit compoſſibile cum ſtatu Monachali, art. 3.

Bona perdita, diligenter quæſito, & non inuento domino, olim de iure pertinebant ad Prætorem, ſed Reges Hiſpaniarum ius prædictum tranſtulerunt in Fratres de la Merced, & SS. Trinitatis pro redemptione captiuorum, ac proinde talia nunc detinens, tenetur eis dare. Si tamen ea retineat abſque peccato (quod putant fieri poſſe plerique Doctores, quandocumque dominus legitimus non noſcitur) videtur non teneri in foro conſcientiæ, ſed tantum in foro fori, ſi

vi-

videlicet petantur. Et ita sunt intelligendæ leges excommunicationē ferentes in eiusmodi bonorum detentorem, artic. 4.

Clemens IV. concessit, quòd cùm aliqui assumentium habitum Fratrum Minorum fuerint obligati ad restitutionem bonorum, diuersis personis, quæ sciri, & inueniri nequeunt, faciendam, Ministri, & Custodes, & eorum Vicarij possint eiusmodi bona in pios vsus conuertere, prout secundum Deum expedire iudicauerint: & hæc concessio quamuis nihil prosit aliis Religionibus, quia id licitum est eis iure communi, fauet nihilominus Franciscanis, propter prohibitionem ipsis alias factam, in secundo nimirum capite suæ Regulæ. ibid.

Quæcunque persona secularis, aut regularis, cuiuscumque status fuerit, etiāsi Pontificali dignitate præfulgeat, pręsumens bona mobilia, aut immobilia Cōgregationis montis Oliueti perturbare, aut fatigare, si infra tres dies a notitia indulti Eugenii Quarti, dictæ Congregationi concessi, non se correxerit, incurrit excommunicationem Papalem, & hoc idem priuilegium concesserunt Leo Decimus, & Iulius Secundus Eremitis Sancti Augustini, artic. eptimo.

Ma-

Materia, & bona Cõuentuum destru-ctorum Mendicantium possunt applicari Conuentibus propinquioribus eiusdem Ordinis, aut vendi in eorum vtilitatem (Ecclesiis consecratis duntaxat exceptis) art. 6. & tom. 3. quæstio. 5. artic. 4.

Probabilius est, Nouitios Minores vi Regulæ teneri quidem omnia bona sua relinquere, sed non distribuere pauperibus, quandoquidem verba Regulæ ex Euangelio sumpta eodem sensu sint intelligenda, quo Christus ea tradidit, ad perfectionem tendere volentibus: imò & ipsi Apostoli, ex sententia Iansenii in Concord. Euang. solum reliquerunt, non autem pauperibus distribuerunt sua, vnde non amplius obligandi sunt prædicti Nouitii, to. 3. q. 16. ar. 6.

CANONICA PORTIO.

COncil. Trid. non abrogauit concessionem Regularibus factam a Sede Apostolica de non persoluenda quarta funeralium, nisi eorum Monasteria ante annos 40. extructa fuissent, eodemque temporis spatio dictam quartam funeralium persoluissent. Ex decl. Congreg. Illust. Card. to. 1. q. 39. ar. 2.

No-

Nomine quartæ funeralium intelligenda veniunt ea, quæ cum corpore defuncti in die sepulturę ad Ecclesiam deferuntur, non autem quæ postea, ibid.

Canonica autem portio dicitur, quæ fit a Canonibus approbata, & debita iure Decretorum, art. 1.

Quòd si ad prædictę quartę non debitæ solutionem sibi faciendam ipsos Regulares, aut testamentarios, vel hæredes cogerent Episcopi, ipso facto interdicerentur ab ingressu Ecclesiæ, alii excommunicarentur. Ex Sixto Quarto, art. 9.

Non sunt censendi Regulares indulto super hoc sibi facto renunciare per vnum, aut plures actus contrarios, sed tantum per contrarium vsum 40. annorum, tom. 3. q. 46. art. 2.

CAPITVLVM.

Vide Oraculum viuæ vocis, Priuilegium.

QVid sit Capitulum intermedium in nostro Ordine Fratrum Minorum, & quomodo differat a Congregatione intermedia, & ab aliis Congregationibus non intermediis, declarant ad lon-

longum Statuta Barchinonensia.

Maior, & sanior pars Capituli est, quę nititur maiori ratione, & pietate, vt docet Syluester. Certe communi iure receptum est, vt pro causarum varietate in quibusdam ad numerum tantum, in aliis præter numerum etiam ad virtutum merita sit respiciendum, prout tenent Abbas, Felinus, & multi alii. to.1. q.13.art.9.

Capitulum generale, immo etiã Prouinciale, restringere potest authoritatem Guardianorum, & Priorum, quam postea restrictionem excedentes peccabũt pro grauitate materiæ, nisi aliud constet ex verbis ipsius restrictionis, quæst.17. art. 5.

Si maior pars Capituli delinquit, & proinde priuetur sua authoritate, tota potestas Capituli residet penes minorẽ partem quæ non deliquerit, vt notat Panormitanus, q 41.ar.1.

Capitulum non solum obligat Fratres, vt caput Religionis, sed etiam propter authoritatem Apostolicam illi commissam, saluis tamen Regulæ Ordinum essentialibus, art. 2.

Omnes Fratres, etiam Nouitii, & Oblati, qui Capitulo generali interfuerint, possunt semel recipere absolutionẽ ab omnibus peccatis quamuis Papæ reserua-

ſeruatis,& cenſuris;necnon diſpenſatio-nem in infamiæ maculis, aut irregularitatibus, & lucrari plenariam Indulgentiam, quam omnes abſentes, qui facta confeſſione pro felici ſtatu Capituli orauerint,conſequuntur, ar. 4.

Capitulũ diſcretorium conſtat ex omnibus Patribus vocalibus; ſed diffinitorium tantum ex definitoribus cum præſidente, ar. 5.

CARNES.

PRohibitum eſt omni tempore comedere carnes Benedictinis ex regula, ſed per priuilegium Alexandri VI. receptum in quodam Capitulo Ciſtercienſi, reſtricta eſt prohibitio ad certos tantum hebdomadæ dies. Sub hoc autem præcepto non veniunt oua,& lacticinia,licet ex carne originem trahant (cum pœnæ ſemper reſtringendæ) ſed bene inteſtina,quæ ab illis edi nequeunt Sabbatho, quamuis cõſuetudo patriæ,v.g.in regno Caſtellæ id aliis permittat,tom. 1.q.100. art. 1.

Regulares non ſolùm poſſidentes,ſed etiam Mendicantes, licitè diſpenſant cum ſuis ſubditis in eſu carnium,tam intra quam extra tempus Quadrageſimę,
iuſta

iusta id exigente causa, art.2.

Consuetudo Carthusiensium, præscripta de non edendis carnibus, licita est, & laudabilis, obligatque ad mortale saltem ratione scandali, quæst.101. art. 1.

Etsi non liceat abbreuiare vitam ex proposito, verbi gratia, edendo nociua, aut minus parce, quia hoc esset contra præceptum charitatis; nemo tamen tenetur illam prorogare cibis delicatis, mutatione aeris, aut sumptione medicinæ, art.2.

CASTITAS.

CAstitatem solemniter vouentes in Ordinibus Militaribus sunt Religiosi; non quidem simpliciter, sed secundum quid, in Ordine scilicet ad Militiam: vnde fornicando committunt sacrilegium, tom.1.q.1.art.6. & q.13.artic. 1. & 2.

CANTVS.

QVàm indecens sit in Officio diuino cantus Organicus, & Musicalis, presertim vero religiosis personis, decla-

clarat Ioannes XXII.in Extrauag.1.De vita & honest.Cleric.quæ incipit; Docta Sanctorum Patrum,& hanc extrauagãtem non reuocat Conc. Trid. sess.22.in Decreto de vitandis in Missis, &c. sed tantum cantus lasciuos remouet,tom.1. q.40.art.1. & 2.

CITATIO.

CItatio non requiritur erga eum qui non potest actui contradicere, vt in depositione ab aliquibus officiis Religionis; nec quando culpa est adeo notoria, vt nequeat se reus defendere; aut quando eius literis missiuis probatur,& quandocumque est inexcusabilis: tunc enim Regularis etiam non auditus damnari potest; quia licet citatio sit iuris naturalis;id tamen intelligitur,quando imminet periculum inferendi reo iniuriã, tom.2.q.18.ar.1.

In citatione non requiritur, vt stylus curiæ Romanæ seruetur, sed sufficit stylus ordinarius, art.2.

Regularis notoriè exemptus(vt Mendicantes) citatus à Iudice alieno, non tenetur comparere, etiam ad priuilegiũ allegãdum; secus est,quando dubitatur de exemptione, vt in Religiosis Militaribus,q.62.ar.17.

CLAV-

CLAVSTRVM.

Vide Religio quoad tranſitum.

EXtra Clauſtra eſſe cenſentur, qui ſine legitima obedientia alibi degũt, vel qui ſua culpa expulſi ſunt ab Ordine, tom.3.q.32. ar.9.

Et illi nullum beneficium, aut officium Eccleſiaſticum habere poſſunt. Degentes autem in Clauſtro obtinere poſſunt beneficium curatum ſuo Monaſterio ſubiectum ſola Abbatis authoritate; ſed non ſimplex, ſine ſpeciali ſuæ Sanctitatis licentia: nam conceſſionem priùs ad hoc factam reuocauit Paulus IV. q. 53. art.1. & 2.

Rationabili exigente ratione, licitum eſt Regulari, cum Generalis licentia, manere in Eremo, Hoſpitali, aut Eccleſia Parochiali, &c. art. 5.

Habita Superiorum Prouincialium facultate, multò magis Papæ, poſſunt Religioſi cum conſcientiæ ſecuritate, etiam ad longum tempus, extra Clauſtra manere, ad ſubueniendum parentibus, retento habitu, aut etiam eo dimiſſo, ſi id eiuſmodi ſubuentio requirat, artic. 5.

Mo-

Monachus acceptans beneficium curatum de licentia sui Superioris, tenetur residere in Parochia, non in Monasterio, artic. 3.

CLAVSVRA.

Vide Monasterium, Nouitius.

SOlo iure humano instituta fuit diuersis temporibus clausura Monialium, quandoquidem non sit de essentia Religionis; vnde nec primæ Religiosæ ab Apostolis consecratæ, reclusæ fuerunt, to.1.q.44.ar.1.

Potest Papa præcipere clausuram, etiam iis quibus Regula non indicit; tenentur enim omnes Religiosi obedire, non solum in iis quæ directe in Regula continentur, sed etiam quæ indirecte, id est, quæ prudenti iudicio conducunt ad commodiorem Regulæ obseruantiam: hæc enim nequeunt dici esse supra Regulam, ad quæ non tenentur, sed omnino secundum eam, ibid.

Concilium Trident. sess. 25. de Regularibus, capit. 5. omnibus prorsus Monialibus, cuiuscumque professionis, Ordinis, aut nominis fuerint, præcipit dictam

dictam clausuram, etiamsi illam non vouerint, aut immemorabili consuetudine non seruauerint, vel oppositum in sua fundatione habeant, ar. 2.

Quod specialiter explicarunt, & declararunt Pius V. & Greg. XIII. extendendum ad Tertiarias viuentes in communi, & emittentes vota solemnia Religionis, art. 3.

In multis Ordinibus præsertim Sanctæ Claræ, sunt duplicis generis Conuersæ: sunt enim aliquæ non deputatæ Choro, sed operibus manualibus, velo saltem ab alijs Choro deputatis differentes; & hæ obligantur ad clausuram, cum emittant quatuor vota, vt aliæ. Et sunt aliquæ emittentes tantum duo vota, castitatem, & obedientiam, & hæ etiam habitu differunt ab aliis, deputanturque eleemosynis, aliisque necessariis quærendis, nec possunt intromitti in clausuram, aut ad professionem aliarum recipi, ex constitu. Greg. XIII. sed debent habitare in domibus contiguis Monasterio, ar. 4.

Multi asserunt, non solum prohiberi Fratribus Minoribus ex vi Regulæ ingressum, sed etiam accessum ad quæcumque Monasteria Monialium: alij probabilius [non ex vi Regulæ], aut eiusdem intentione accessum interdici,

 sed

sed ex præcepto Nicolai III. Benedicti XII. & constitutione Bonifacii VIII. renouata in Concil. Trident. & inhibitione Superiorum. Vnde ad ea loca, ad quæ seculares liberè accedunt ad loquēdum cum Monialibus, absque peccato, saltem veniali, ire non possunt sine licentia Superiorum, nisi ignorantia inuincibilis excuset, vt certè facit multos ex magna dissimulatione Superiorum, q. 45. art. 4.

Et hæc opinio asserens non amplius teneri Minores quam seculares ad vitandum dictum accessum, est satis probabilis, immo in praxi tuta; quamuis opposita sua etiam probabilitate non careat, ibid.

Quiuis Prelatus, etiam Guardianus proprius, aut loci vbi est Frater forensis, pro causa licita, & honesta, potest concedere hanc licentiam accedendi ad loca externa, etiam Sanctæ Claræ per constitutionem Sixti IV. In quo non est nimis scrupulizandum, si absit fraus. Et Leo X. decernit, in hoc sequenda esse Ordinis statuta, ar. 5. & 6.

Statutorum autem generalium Capituli Tholosani hic est tenor: Arceantur studiosissime Fratrum accessus ad loca Sororum, & nullo modo cum iisdem loqui possint sine licentia Prouincialis in scri-

scriptus obtenta, nisi saltem hospitij & celebrationis gratia, vbi Fratrum Conuentus non sunt, art. 2.

Prohibitum est Romæ, ne quis scribat, aut alloquatur Monialem inclusam absque venia Vicarii Papę, aut Protectoris Ordinis, sub pœna pecuniaria, aut alia arbitraria. art. 3.

Posito statuto in aliquo Ordine ne quis scribat ad Monialem eiusdem Ordinis, sub pœna excommunicationis; Frater contrafaciens peccat quidem contra obedientiam, sed non incidit in excommunicationem, nisi literæ ad eam perueniant. Ita Nau. ibid.

COMMENDATORES.

Commendatores de Malta, qui sunt vere, & proprie Religiosi, tria vota essentialia emittentes, ex priuilegio non comprehenduntur sub iure alios Religiosos concernente quoad odia; ac proinde non tenentur contribuere Seminario, iuxta Concil Trident. sessio. 23. capit. 18. tom. 1. quæstione 1. artic. 6.

COMMENDATARIVS.

DE Commendatariis, & eorũ exemptionibus, aliisque ad eos pertinentibus, late disserit, to. 2. q. 62. art 13. 14. 15. & 16.

COMMISSARIVS.

OB amplitudinem Ordinis Minorũ, in singulis Capitulis generalibus ex Bulla vnionis Leonis X. eligendus est ab omnibus Patribus familiæ, de qua nõ est electus Generalis, Cõmissarius vnus generalis, v.g. Si Minister generalis assũptus est ex familia Cismontana, Commissarius generalis tunc erit eligendus ex familia Vltramontana, tom. 1, q. 51. art. 1.

Huius commissio est tantummodo triennalis: vnde Patres illius familiæ, de qua assumptus est, debent conuenire in Comitiis intermediis ad alium eligendum, nisi bello, aut simili aliquo impedimento prohibeantur; quo casu penes Generalem residebit facultas continuandi, de consilio aliquorum Patrum, vel de nouo alium instituendi, ibidem.

Potestas Commissarii generalis est plenis-

niſſima ſuper omnes Fratres, & Moniales ſuæ familiæ,ſicut eſt Generalis in toto Ordine, ar.2.

Commiſſarius generalis habet iuriſdictionem ordinariam, tum quia eligitur ab vniuerſitate vnius familiæ (quæ licet ſit pars reſpectu totius Ordinis, tamen eſt totum reſpectu illius electionis) tum etiam quia habet ſuam authoritatem beneficio legis; ac per conſequens ſubdelegare poteſt, quandoquidem id conceſſum ſit delegato ad vniuerſitatem cauſarum; nec quidquam contra hanc reſolutionem conuincunt Collectoris argumenta,ar.3.

Eſt etiam verus Prælatus habens dignitatem Eccleſiaſticam ampliſſimam, ſi electus ſit,vt ſupra: ſecus eſſet, ſi a ſolo Miniſtro generali, bellis impedientibus, Capitulum inſtituatur: tunc enim tantum erit delegatus; nec dicetur Prælatus, licet etiam tunc videatur poſſe alios ſubdelegare, ex eo quòd inſtituatur ad vniuerſitatem cauſarum, ibidem.

Quandoquidem Commiſſarius Papę authoritate inſtituatur, nequit a Miniſtro generali, vel Capitulo amoueri ſine cauſa,ar.4.

Cum ex Bulla Leonis X. Miniſter generalis debeat dicto Commiſſario

committere vices suas, intelligitur quoad omnes, quidquid dicat Collector Cõpendij, quandoquidem illa institutio sit toti familiæ fauorabilis: vnde non potest per se solum limitare illius auctoritatẽ: etsi enim verus sit illius Superior, id tamen intelligi debet quoad correctionem tantum, nisi Minister generalis sit in eadem familia, quia tunc de consuetudine habet ius sibi reseruandi visitationem aliquarum prouinciarum, art. 4.

Et quãuis dictus Generalis possit per se instituere aliquem Commissarium super aliquas prouincias illius commissioni subiectas, verbi gratia, super Belgicas; nequit tamen auferre ab alio Commissario auctoritatem ordinariam in easdem, ibid.

Cum causa tamen rationabili, & consensu Capituli generalis, potest Minister generalis dicti Commissarii auctoritatem limitare, vt constat ex verbis dictæ Bullæ vnionis ibidem.

Minister generalis discedens a sua familia, potest de consensu definitorũ Capituli generalis relinquere in eadem aliquem Commissarium, art. 5.

Quamquam Fratres Indiarum habeant particularem Commissarium, non ideo tamen priuatur iurisdictione in eosdem Commissarius generalis, quando-

qui-

quidem etiam ab eis eligatur. Imò dictus particularis Commissarius illi subditur quoad correctionem grauium delictorum, q. 52. art. 1. & 2.

Commissarius Curiæ cum sit Ministri generalis Vicarius, ab eodem institui potest, non sequendo electionem Canonicam de necessitate, quamuis de decentia secundum statuta illam sequi teneatur, q. 53. art. 1.

Hic tantam habet auctoritatem in familia de qua assumptus est, quantã Procurator Curiæ in sua, & sicut huius potestatem Minister generalis ampliare, & restringere potest, ita & illius, cum vtriusque sit delegata, art. 2. & 3.

Commissarius Prouincialis etiam a Ministro Generali cum plenitudine potestatis institutus nihil attentare potest contra statuta prouinciæ, nec quidnam innouare absque consensu Patrum definitorum; neque eius iurisdictio extendit se ad eos casus, in quibus Capitulũ prouinciale, aut Minister prouincialis cum suis definitoribus habet potestatem, verbi gratia, circa admissionem ad conciones, expulsionem ab Ordine, &c. Ex declaratione Capituli Burdegalensis, anno 1520. q. 54 art. 1.

Commissionem huiusmodi datam Ministro prouinciali expirare cum Pro-

uincialatum quoad personã eius, sed nõ quoad eius successorem in officio, declarauit aliquando Capitulum generale Florentinum, anno 1493. quamuis expiret morte concedentis. ibidem.

Si peculiares sint in aliqua prouincia constitutiones de electione Commissarij, secundùm illas debet eligi; illis verò deficientibus, generalibus est inhærendum, art. 2.

Huiusmodi Commissarij authoritatẽ Prouincialis discedens limitare nequit, ne ouibus aliquãdo non sufficienter prouideatur, iuxta Concilium Trid. sess. 24. cap. 1.

Excipiuntur tamen aliqui casus, verbi gratia, de cogenda Congregatione vicẽ Capituli habente, & similibus negotiis notabilibus totam prouinciam concernentibus, nisi Prouincialis sua culpa, aut vltra debitum tempus absit, vt bene decreuerunt statuta generalia. Aduertant dicti Commissarij, quod literæ, & patentes Prouincialis absentis sunt omnino seruandæ: non enim Prouinciales amittunt iurisdictionem suam propter absentiam art. 3.

Commissarius mittendus ad Capitulum generale, loco Prouincialis legitime impediti eligi debet per Ministrum, & diffinitores prouinciæ; habetque vocem acti-

actiuam, & passiuam in dicto Capitulo generali, secundum sacros Canones, cap. Quapropter, in 6. Nec id prohibet Conc. Trid sess. 25. de Regul. cap. 6. cum talis non instituatur titularis Prouincialis, aut custos ad supplendum suffragia absentis; sed verus Commissarius, aut Procurator prouinciæ. Nec etiam obstat Regula nostra de electione Ministri generalis, quia ipsius votum est ipsiusmet Prouincialis. Deinde statuta Apostolica authoritate firmata aliter statuere possunt, art. 3.

Commissarii, communiter dicti Visitatores, ad visitandas prouincias missi debent habere plenariam potestatem; quod vsu etiam obtentum est, licet per constitutiones generales restringatur, art. 4.

Rebellantes in ipsos, aut contemnentes, seu mutantes ab ipsis ordinata (modò non sint contra constitutiones Ordinis) sunt ipso iure excommunicati excommunicatione Papæ reseruata, ex Decreto Greg. XIII. iuridico, ipsoque facto priuantur omnibus officiis habitis, & habendis, art. 4.

COMMVNICATIO Priuilegiorum.

Vide Confratria.

PRiuilegium concedens communicationem priuilegiorum alterius Ordinis, intelligitur de concessis, non concedēdis; nisi expresse dicatur; & de actu valentibus tantum; tamque de concessis a Papa, quàm de acquisitis consuetudine præscripta, licèt illa Religio eis non vtatur, sed tamen vti possit, tom. 3. q. 51. art. 1. 2. 3. 4.

Ordines Mendicantes sunt hodie iure communi, & diplomate Apostolico, octo; videlicet, Minoritæ, Prædicatores, Carmelitæ, Augustinienses, Iesuitæ, Minimi, Serui Beatę Mariæ, & Iesuati Sancti Hieronymi, to. 3. q. 49. art. 1. & q. 52. art. 15.

Qui omnes, per multa singulis in speciali, & generali concessa priuilegia, sibi inuicem in omnibus prorsus indultis, & gratijs tam Ordinis quàm suis Ecclesijs, & locis concessis, ac concedendis communicant ad instar, gaudentque insuper omnibus priuilegijs nō Mendicantium, quatenus eorum professioni congruit,

non

non aliter, tom. 1. quæst. 55. art. 1. 2. 3. 4. & 5.

Ex concessione Sixti V. & Iulij II. Ordo Sancti Benedicti gaudet omnibus priuilegiis, & gratiis omnium congregationum eiusdem Ordinis, vt Cassinensis, Cistertiensis, art. 6.

Cistertienses per amplissimum indultum Gregor. XIV. anno Domini 1591. fruuntur omnibus priuilegijs, & gratiis omnium prorsus Religionum, tam Mendicantium quàm non Mendicantium; & per consequens etiam Benedictini, art. 7.

Singulæ domus Carthusianæ Canonicè erectæ, & erigendæ, communicant omnibus concessionibus, indulgentiis, &c. cum domo Carthusiæ Gratianopolitanæ, & omnium aliarum eiusdem Ordinis speciali motu, & ratione indultis, per Greg. XI. & Pium II. art. 8.

Per Bullam Sixti V. anno 1589. Ordo Sancti Hieronymi gaudet omnibus immunitatibus, prærogatiuis, aliisq. fauoribus omnium Religionum, art. 9.

Ordo SS. Trinitatis Prouinciæ Castellæ, Legionis, & Granatæ regnorum per Leon. X. & Adriani VI. communicat in omnibus concessionibus, & indultis, quibus fruuntur Fratres Mendicantes, art. 10.

Idem etiam concessit, Ordini Crucigerorum Greg. XIV. ann. 1591. articulo 11.

Et Leo X. Ordini Sanctæ Mariæ a Mercede, art. 12.

Omnes Moniales subditæ gubernationi Mendicantium, etiam Tertiariæ, siue viuant in communi, siue in particulari, voto continentiæ emisso, gaudent omnibus gratijs, quibus Fratres, in quãtum capacitas earum permittit per multa priuilegia singulis concessa, art. 13. 14. & 15.

Seculares Confratres Chordæ, Corrigiæ, Scapularij, &c. idem habent priuilegium quoad indulgentias, & remissiones peccatorum tantùm, non in his quæ possent perturbare iurisdictionem Episcoporum conformiter Decreto Cõcil. Trid. sess. 24. de Reformatione, capite 11. art. 16. Vide Confratria.

Aduertendũ tamen, solùm fieri Religiosis communicationem eorum, quæ sunt ipsis fauorabilia (etsi secularibus ex altera parte oneroso) non autem eorum quæ sunt illis odiosa: vnde non fit communicatio censurarum, inhibitionum, &c. art. 17.

Etiam priuilegia Iesuitarum, omnibus ritè perpensis, extenduntur ad alios Religiosos, quamuis Bulla exprefsè ali-

quan-

quando habeat: Quòd hæc gratia alijs non communicetur; prout colligitur ex indultis Greg. XIV. factis Cistertiensibus, & Crucigeris. Neque ad hoc requiritur, vt a suis Prælatis eis communicentur. art.17.

Priuilegia, & gratiæ concessæ aliquibus domibus singularibus ob causam particularem in Ordine Sancti Hieronymi, extenduntur per Pium IV. ad omnes domos illius Ordinis tantùm; etiamsi in iis eædem causæ concessionis, & dictorum indultorum non subsint, sed aliæ. Et hoc idem priuilegium communicatur omnibus Ordinibus Mendicantibus; vnde & indulgentiæ Portiunculæ extenduntur ad omnes Ecclesias nostri Odinis vtriusque sexus tantùm. Secus est de priuilegio personali particulari, quod iuxta declarationem Leonis X. nequit aliis communicari. art.18.

Sicut illa Religio, cui primò facta est gratia', per præscriptionem nō vsus eam amittens, non præiudicat aliis Religionibus ea vtentibus; sic è cōtrario illa, quæ priuilegium per non vsum amisit, non potest iuuari ad gaudendum eodem ex vsu alterius Religionis, quia solum ius communicatur, non autem vsus, & non vsus, qui non in iure, sed in facto consistit, articulo 19.

Sed

Sed notandum, oportere haberi scientiam priuilegiorum, & voluntatem non vtendi illis, ab his, contra quos talis præscriptio allegatur, ibid.

Hanc priuilegiorum communicationem Iul. II declarauit sic esse intelligendam, vt concessa Ministro generali vnius Religionis, sint concessa omnibus Generalibus aliarum, Prouinciali, Prouincialibus, simplici Fratri, omnibus Fratribus; & quod festiuitatibus vnius Ordinis, etiam festiuitatibus alterius; & hæc tam de concessis, quàm concedendis, art. 20.

Religio communicans potest vti priuilegio, in quo participat, etiam contra illam cui primò datum est; quia per gratiam communicationis ita fit ei proprium, vt nullo modo censenda sit habere dependenter ab alia: secus est de familiaribus, donatis, &c. qui vtuntur gratiis tantum dependenter a Religiosis, art. 21.

Communicatio priuilegiorum semper censetur valida, nisi contraueniat professioni, & obseruantiæ Religionis; aliàs minimè: multa enim concessa laxioribus, nullo modo communicantur strictioribus, quia ad ædificationem, non ad destructionem dantur, art. 22.

COM-

COMMVNIO.

EXcommunicationem Papalem Clementis V. incurrunt Religiosi administrantes personis secularibus Sacramenta Extremæ Vnctionis, Matrimonii, & Eucharistiæ, sine expressa licentia Parochi; qui est proprius in sua Parochia Curatus, in tota Diœcesi Episcopus, & in tota Ecclesia Papa, tom. 1. quæst. 56. art. 1.

Noluit tamen prædictus Clemens V. priuilegia in contrarium concessa reuocare, nec potuit concedenda, art. 2.

Concesserunt plures Pontifices Fratribus Minoribus, authoritatem communicandi omnes seculares, licèt eos non audierint in confessione, præterquam in Paschate, id est, quando intendunt satisfacere præcepto communionis annuæ; quam tamen possunt peregrinis, & vagantibus conferre, art. 3. & 6.

Imò per gratiam Iulii II. factam Minimis, etiam in Paschate, sine timore excommunicationis possunt illam indifferẽter ministrare, sed in suis Ecclesiis tantum, art. 3. & 6.

Quinetiam per eundem Iulium II. possunt seculares Sacerdotes etiam simplices nõ approbati ab Episcopo ad hoc, cele-

celebrantes in Ecclesia Fratrum Minorum communicare seculares de licentia Fratrum, art. 7.

Et in Ecclesiis Monialium de licentia Confessarii, vel Capellani earumdem, art. 9.

Quamuis non desint multi graues Patres asserentes, nunquam fuisse intentionem Pontificis, vt Religiosi ministrent Eucharistiam secularibus, quando præceptum obligat, vt in Paschate, & articulo mortis, nisi necessitas vrgeret, ex rationabiliter præsumpta voluntate Parochi; non tamen facilè iudicandum est, eos, qui id attentarent, excommunicationem incurrere, præsertim si admittatur indultum Iulij Secundi etiam pro Paschate non fuisse reuocatum, artic. 4. & 5.

In Indiis possunt Mendicantes Sacramenta ministrare de sola licentia Regis Catholici, qui ad hoc est Papæ delegatus, sine timore excommunicationis, etiam tunc temporis, quando sunt vbiq; Episcopi, cum nō cesset functio legationis, art. 11.

Episcopus potest agere contra Religiosos, qui Sacramenta prohibita in supradicta Clementina administrant, vsque dum sua priuilegia probarint; nisi illa sint satis communiter nota, vt in Re-

li-

ligiosis Indiarum; aliàs faceret illis iniuriam, art.12.

Episcopi, aut alii Clerici Episcoporum Ministri, impedientes Religiosos ab vsu priuilegiorum iam probatorum, incidūt in excommunicationem Papæ reseruatam, ibid.

Religiosi possunt administrare omnia Sacramenta suis famulis, qui morantur intra claustra, & etiam degentibus extra claustra, quoad forum conscientiæ, oraculo viuæ vocis Pij Quinti, art.14.

CONCEPTIO.

Conceptam fuisse B. Mariam cum peccato, aut sine vllo, licet in particulari tenere sine offensa, imò disputare in Scholis, quando abest scandalum, to. 1.q.57.art.2.

In publicis concionibus conantes probare rationibus fuisse conceptam cum peccato, vix excusantur a mortali, aut veniali, non quidem ratione veritatis, aut falsitatis dicti, sed ratione scandali probabiliter imminentis, præsertim in Hispania, Gallia, & alibi, vt patet experientia. Nec tale scandalum est Pharisaicum, aut ex malitia, sed pu-

pusillorum, immo piorum, & simpliciter credentium. ibid.

Licet non sit peccatum, suadere rationibus non esse conceptam cum peccato, tamen non expedit, quia est ponere in opinione, quod omnes simplices putant communiter esse de fide. ibidem.

Qui publice quomodolibet affirmãt, alterutram opinionem esse hæreticam, aut erroneam, in excommunicationem Sixti IV. incidunt, quam approbat, & innouat Conc. Trid sess. 5. canon. vltimo, art. 1.

Idem Sixtus cõdemnauit opinionem dicentium, Romanam Ecclesiam celebrare festum spiritualis tantum Conceptionis, & sanctificationis Beatę Marię ibidem.

Leo X. concessit indulgentiam plenariam Fratribus Minoribus dicentibus Missam Conceptionis, & orantibus in ea pro sua Sanctitate, & vniuersali Ecclesia. Quam postea ampliauit ad omnes Fratres, & Sorores eandem audientes. artic. 3.

Sixtus IV. ordinauit, quòd omnes, & singuli Christi fideles, vtriusque sexus, qui Missam, & officium festi Conceptionis Beatę Mariæ, cuius initium est, Sicut lilium, &cet. in ipso festo celebrauerint,

rint, aut dixerint, aut illius Horis Canonicis interfuerint, quoties id fecerint; eandem prorsus indulgentiam consequantur, quam Vrbanus IV. Martinus V. & alij Romani Pontifices concesserunt illis, qui Missam, Officium, & Horas Canonicas, in festo Corporis Christi a primis Vesperis, & pro illius Octaua (iuxta Romanæ Ecclesiæ institutionem) celebrant, dicunt, aut Missæ officio, & Horis eiusmodi intersunt, ibidem.

Sixtus Quintus concessit omnibus, & singulis Monialibus Conceptionis Beatę Mariæ, ac omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus, confessis, & Sacra Cõmunione refectis, qui singulas, vel quamlibet Ecclesiarum Monialium eiusmodi in festo Conceptionis B. Mariæ visitauerint, & ibi pro pace inter Christianos Principes conseruanda, sanctæ matris Ecclesię exaltatione, hæresumque extirpatione, orauerint, indulgentiam plenariã, ibidem.

Leo X. concessit viris deferentibus imaginem Conceptionis beatæ Mariæ, & mulieribus Scapularium eiusdem Ordinis cum prædicta imagine, easdem gratias, quas consequuntur deferentes chordam Fratrum Minorum, & corrigiam Sancti Augustini, tunc concessas, art. 4.

Licet

Licet in festo Conceptionis celebrare Officium solemniter, sicut in alijs solemnioribus diebus tempore interdicti, pulsatis campanis, & apertis ianuis, exclusis tantum culpabilibus. Immo etiam tempore cessationis a diuinis, artic. 5.

CONFESSARII quoad præsentationem.

NVlli Regulares possunt confessiones secularium etiam Sacerdotum audire, nisi præsentati secundum formam iuris, quæ est in Clement. Dudum, §. statuimus, de Sepulturis, ex Cōcil. Trident. sess. 23. cap. 15. tom. 1. quæst. 59. art. 1.

Forma dictæ Clementinæ fermè hæc est: Vt Prouincialis per se, vel per alium accedat ad Episcopum, rogans vt admittantur tot Fratres, quot ipse intendit, & dignetur acceptare, ac si per omnia seruata esset forma iuris. Quòd si acceptet, sunt admissi, aliàs minimè, sed debent personaliter præsentari, ibidem.

Episcopus Fratrem sibi præsentatum, & per examen, aut alio modo repertum idoneum sine causa non admittens, facit

cit illi iniuriam. Et talis ſecundum ius poteſt confeſſiones audire. Quia Epiſcopi a iure nudum miniſterium habent approbandi Fratres, non authoritatem concedendi eiſdem iuriſdictionem, ibidem.

Item ſi non expectata præſentatione Epiſcopi præmonentes dicant; Nō præſenteris aliquos, quia non admittemus; pro admiſſis habentur ſecundum Cardinalem. Si verò non recuſent admittere, ſed non dent licentiam, vel negligāt, ſecundum Gloſſam, locum habet hoc priuilegium poſt trinam monitionem, vel requiſitionem, ibid.

Si Epiſcopus numerum Cōfeſſorum, iudicio Fratrum neceſſarium acceptare noluerit, ſitque inter eos ſuper hoc contētio, Iudicis arbitrio definiendum erit, ibidem.

Dicta Clementina facta pro Fratribus Minoribus, & Prædicatoribus tantum, non eſt ſublata per Concilium Tridentinum, cum ſit lex ſpecialis, non priuilegium. Immo etſi foret priuilegium, non reuocaretur, quia generi detrahitur per ſpeciem, non contra, articulo 2.

Approbatio, & præſentatio Fratrum Prędicatorum, & Minorum, per dictam Clementinam eſt perpetua, nec debet

itera-

iterari in eadem Diœcesi,quia iurisdictio eorum est ordinaria, nec comprehendit eos Bulla Greg XIII.quæ incipit, In tanta,&c. nec declaratio Illustr. Card. cùm illa lex, vt dictum est, non sit per Conc. Trid reuocata,art.4.

Non sufficit,Regulares admissos esse in vna Diœcesi,pro omnibus; sed debêt in vnaquaque admitti. Tamen ex priuilegio Greg. XIII. concesso Patribus Iesuitis, omnes debitè secundùm ius admissi,iter facientes per terras & mare, possunt in omnibus locis, in quibus non existunt proprij Episcopi,prædicare,& confessiones audire, non repugnantibus tamen Curatis,art.5.

Pius V. noluit quidem semel approbatos,iterum ab eodem examinari; sed tamen permisit successori Episcopo, si velit,posse examinare. Vnde semper valet,facta semel approbatio,donec de facto successor eam suspendat. Quæ constitutio omnes tangit, præter Prædicatores, & Minores iuxta Clementinam admissos,vt suprà, art.6.& 7.

Modò Mendicantes in foro consciētiæ vti possunt omnibus priuilegijs, etiamsi per Concil.Trident. sint sublata, & per consequens frui præsentatione, & approbatione semel obtenta, ex concessione Clementis Septimi facta Minori-

ribus, qua ipsi etiam gaudent, articulo 7.

Possunt Episcopi ex causa limitare, & coarctare Mendicantium approbationem, ad certum locum, tempus, & personas, non autem sine causa, art. 8.

Tunc sine causa facere censebuntur, quando cum omnibus Regularibus generaliter, sine differētia ita se habuerint, approbationes annuales eis tantum indulgentes, ad confessiones virorum eos tantum approbantes ex declaratione Illustriss. Card ibid.

Prouincialis non potest renunciare iuri perpetuæ approbationis, quia exemptus non potest renunciare exemptioni, sine licentia Papæ; cum tale ius concernat totum Ordinem, non priuatam personam. art. 9.

Doctores, & Lectores Theologiæ (extra Ordines Minorum, & Prædicatorum) debent præsentari, & possunt examinari, licet non deceat, art. 10.

CON-

CONFESSARII quoad potestatem absol-uendi.

Vide Absolutio.

REgularis approbatus ab Episcopo, aptus quidem est, sed nullo modo exercere potest iurisdictionem contra Superioris prohibitionen, a cuius obedientia Papa nunquam intendit eximere, nisi expresse id dicat. Et si eligatur in Cõfessorem virtute Iubilæi, aut Cruciatæ, non potest contra Superioris consensum confessiones excipere, vt declarauit Iulius III. ad instantiam Generalis Fratrum Predicatorum, tom.i. q.60. art.9.

Similiter qui ante quidem approbatus, postea tamen a Superiore iuridicè sit suspensus, & notoriè, si intẽtet absoluere, nihil facit, ex eodem Iulio III. Secus est, si prohibitus sit extra iudicium in aliquo, aut aliquibus casibus, quia tunc licèt peccet, tamen huiusmodi confessiones validæ erunt, art. 2.

Regularis, qui inscio superiore admitteretur ab Ordinario, licèt absolueret, quamdiu Superior non annullaret confessiones illi factas, peccaret tamen, nec gau-

gauderet gratijs Clem. sed nudam habe ret Parochorum authoritatem, art. 3.

Regularis approbatus secundum Clement. potest audire Diœcesanos contradicente loci Parocho, etiamsi Episcopi dicant in licentia data, non vtatur ea, contradicente Parocho; cum eius iurisdictio non dependeat ab Episcopo, sed à Papa, art. 4.

Regularis approbatus, vt supra, extra Diœcesim potest audire omnes suę Diœcesis, ex concess. Sixti IV. Fratribus Minoribus, art. 5.

Approbatus in sua domo potest audire omnes prorsus ad se venientes, cuiuscunque Diœcesis, tam Clericos, quàm Laicos, imò Regulares, & exemptos (si tamen ipsi per statuta sua, aut obedientiam possint absolui) absoluendo quoad omnes casus, etiam Papæ reseruatos, exceptis quibusdam, de quibus vide Absolutio quoad secul. art. 6.

Non tamen potest cum extraneo in votis dispensare (licèt possit commutare ex concess. Eugenij Quarti) quia nec Episcopus illius loci potest, cui in hoc non est superior Religiosus, ibidem.

Potest etiam extra domum eadem authoritate vti, cum priuilegium sit personale, non locale. Cui simile est, &

priuilegium de administranda communione, art.7.

Erroneum est, secundum Ioannem XXII. & plures alios Pontifices, tenere, peccata confessa, & absoluta per Regulares iterum confitenda esse in Paschate proprio Sacerdoti, art.8.

CONFESSARII quoad dispensationes.

Vide Dispensare.

POssunt Regulares approbati, vt supra, ex priuilegio Pij V. de licentia tamen suorum Prouincialium, dispensare ad petendum debitum coniugale, ob cognitionem consanguinei coniugis intra secundum gradum, si scilicet fuerit copula naturalis cum emissione, & receptione seminis, tom.1.quæst.63.art 1.

Possunt Fratres Minores cum causa legitima, qualis est non posse continere, deputati a suis Prouincialibus dispensare cum coniugatis, qui ante Matrimonium contractum votum simplex castitatis emiserunt, vt possint petere debitum, non tamen cum ijs qui post Matrimonium contractum consensu vtriusque continentiam promiserunt, in

quo

quo solus dispensat Episcopus, articulo 2.

Dicta dispensatio a Fratribus facta, non durat, nisi durante illorum coniugum Matrimonio, ita vt alter coniugum superstes cum sua remaneat obligatione non contrahendi Matrimonium sine peccato, & post contractum minimè petendi debitum, sine noua dispensatione, ibidem.

Licitum est Fratribus Mēdicantibus dispensare in votis Episcopis commissis iure communi, non autem speciali: v. g. in voto continentiæ simplici vrgente necessitate, nec facilè patente ad Papam aditu, art. 3. & 6.

Confessarij Mendicantes possunt cōmutare omnia vota, demptis vltramarinis, & Petri, & Pauli de vrbe, Sancti Iacobi de Compostella, castitatis perpetuæ, & Religionis. Quam facultatem Paulus III. & Greg. XIII. extendunt etiam ad vota iurata, dummodo commutatio non fiat in præiudicium tertij. Idem dicendum de iuramentis votiuis, art. 4. & 5.

Item possunt commutare, & dispensare in votis pœnalibus, licèt pœnæ appositæ sint Papæ reseruatæ; vt si quis voueat ieiunium sub pœna seruandæ perpetuæ castitatis. Nam tunc castitas non

est principale votum : sed tantum voti accessorium, art. 7.

Sublato principali voto, tollitur, & accessorium, attamen si antequam dispensetur, aut commutetur votum principale, ipsum quis transgrediatur, remanet obligatus ad votum pœnale accessorium, in eoq. solus Summus Pontifex potest dispensare, ibid.

Possunt Regulares Confessarij a suis Generalibus designati Apostolicas literas aperire (quarum apertio, & executio committitur solum Magistris in Theologia, & Iure Canonico Doctoribus) & secundum earum tenorem pœnitentes imposita salutari pœnitentia absoluere, & cum eis dispensare, art. 8.

CONFRATRIA.

Vide Indulgentiæ.

ARchiconfratria chordæ S. Francisci, fuit a Sixto V. instituta Assisij in Conuentu Fratrum Minorum Conuentualium, licentia facta Generali Ministro Fratrum de Obseruantia, & Commissario Generali Vltramõtano eorundem Fratrum de Obseruantia, eandem instituendi in omnibus Conuentibus sui re-

regiminis, vbi non sunt Minores Conuentuales, tom. 1. quæst. 58. art. 1.

Plenariam indulgentiam lucrantur Confratres die ingressus, præmissa confessione, & communione dignè facta. Similem etiam consequuntur indulgentiam in articulo mortis, inuocato nomine IESV ore, vel saltem corde, ibid.

Eandem lucrantur confessi, & sacra Communione refecti, cum intersunt Processioni singulis mensibus solitæ fieri. Alij verò Confratres, qui huiusmodi Processioni interfuerint, centum annorum de iniunctis, vel quomodolibet alias debitis pœnitentijs indulgentiam consequuntur, ibid.

Plures alias particulares indulgentias ob varias rationes concessit idem Sixtus V, ibidem.

Prædicti Confratres gaudent omnibus priuilegijs, quibus Fratres Minores, quoad absolutiones, & indulgentias, ibid.

Ad lucrandas has indulgentias tam plenarias, quàm non plenarias, necesse est, vt chordam cinctam deferant benedictam ab aliquo Prælato, Guardiano, aut Præsidente in eius absentia, & in libris Confratriarum scribatur, aliàs non gaudent priuilegiis, ibid.

Fratres corrigiæ Sancti Augustini lu-

crantur fermè eaſdem indulgentias, & gratias, communicantque omnibus bonis, quæ geruntur in Ordine Sancti Auguſtini, ſed non videntur teneri ad portandam corrigiam, licèt teneantur quotidie dicere ter Pater noſter, & Aue Maria, & vnum Salue Regina, cuius loco, qui neſciunt, debent dicere 5. Aue Maria, art. 2.

CONGREGATIO.

Vide Ordo Regularis.

CONFIRMATIO Priuilegiorum.

PLures Pontifices confirmarunt priuilegia omnium Religioſorum in forma communi, & quatenus nō eſſent contra Concil. Trident. & perdita per 60. annorum non vſum, quem annorum numerum requiri declarauit Eugenius IV. pro Ordine Sancti Benedicti, vt curreret præſcriptio, licèt ius commune plures quàm 40. non exigat. tom. 1. quæſt. 8. art. 1. & 3.

Pius IV. anno Domini 1561. ex certa ſcientia, & poteſtatis plenitudine confirmauit omnia priuilegia Fratrum Mino-

norum, exceptis contrarijs Concil. Trid. ibidem.

Confirmatis priuilegijs alicuius Religionis si in forma communi confirmentur, non intelliguntur confirmata ad instar illius alteri concessa (sicut nec è contra censentur reuocata ad instar, si reuocētur pro Religione cui primò sunt concessa) secus esset, si confirmarentur ex certa scientia, artic. 2. & quæstio. 9. artic. 9.

Confirmare in forma communi, est confirmare id tantum quod actu valet, nec eius vsus sublatus est per prescriptionem. Sed cōfirmare ex certa scientia, est reualidare, & innouare illud quod amplius actu non valebat, propter præscriptionem. Quod fieri intelligitur, cum Papa rei tenorem refert, aut dicit ex certa scientia; quia tunc præsupponitur rem bene callere, aliàs non censetur, ideoq. iuridicè est interpretandum: videlicet, confirmare illud priuilegium, quatenus est in vsu, art. 3. & 4.

Per confirmationem in dubio siue forma communi, solum confirmantur, & innouantur ea quæ actu valent, nisi aliud exprimat confirmans, prout exprimit, quando addit clausulam, nō obstātibus reuocationibus Apostolicis. Per confirmationem verò ex certa scientia

(qualis fuit Greg. XIII.) confirmantur etiam ea quæ sunt abrogata, & per contrarium vsum cassata, art. 3.

Vt præscriptio contingat, & priuilegium perdatur per non vsum, oportet habere scientiam priuilegij, & voluntatem non vtendi illo. Imò licet vnus Ordo velit non vti suo priuilegio, non ideo aliis Ordinibus præiudicare potest, sicut nec Fratres, seu Conuentus, seu Prouinciæ, toti Ordini, seu aliis, articulo 5.

An pœna per legem, vel priuilegium taxata possit per contrariam consuetudinem tolli, controuersia est. Affirmat Panormitanus, negat Castro, quem sequi videtur Rodericus, art. 6.

Quando id, quod per legem positiuã præcipitur, est abrogatum per cõtrariam consuetudinem, etiam pęna a iure taxata cõtra transgressores talis legis est nulla: sublata enim obligatione principali ipsius legis, tollitur etiam obligatio pœnæ tali legi apposita. Hinc videmus multas excommunicationes hodie non ligare, quæ in extrauagantibus proponuntur, ibid.

Priuilegium non valere contra Concil. Trident. intelligendum est, quando expresse derogat Concilium per nõ obstãtias priuilegiorum, vt sunt hæc, sess. 5.

de

de Reformat. cap. 2. De prædicatoribus errores, vel scandala seminantibus, contra quos procedi debet per Episcopum. Et in eisdem sess. & cap. De prædicatoribus non admissis a Superioribus, & Ordinario, sess. 15. cap. 11. De obedientia, sess. 22. In Decreto de obseruandis, & vitandis in celebratione Missæ, sess. 23. cap. 10. De potestate Abbatum, & 12. De ætate Ordinandorum, ac 13. De non recipiendis duobus Ordinibus vno die. Denique 15. De Confessariis, sess. 25. de Reformat. cap. 11. De locationibus bonorum Ecclesiæ, & 13. De quarta funerali soluenda. Tandem omnia quæ habentur sess. 25. de Regularibus derogant priuilegiis, articulo 7. & 8.

Vbi Concilium non derogat expressè, non censetur ligare Regulares contra priuilegia; v. g. Sess. 4. de vsu sacrorum librorum, & Sess. 5. de Reformat. cap. 1. de lectione Sacræ Scripturæ habenda. Sess. 22. de Reformat. cap. 4. de voce in Capitulis, & Sess. 23. cap. 11. de interstitiis Ordinum. Ibid.

Pius V. viuæ vocis oraculo permisit Fratribus Minoribus vti omnibus suis priuilegiis etiam contra Conc. Trident. in foro conscientiæ tantum, cuius quidem Pij Quinti gratias datas Medican-

tibus, Greg. XIII. reuocauit ad formam Concil. Trid. sed in foro exteriori tantum (nihil agens de oraculis viuæ vocis) ad sedandas lites ortas inter Clerum, & Regulares, quas non suscitabant priuilegia concessa in foro conscientiæ tantum, art. 10.

Clausula generalis, Non obstantium, non extenditur ad legem, vel statutum iuratum, art. 12.

Clausula de contradictoribus, poni solita in Bullis, & confirmationibus priuilegiorum, intelligi debet de contradictoribus, qui de facto solum, non autem de iure contradicunt. Et quando Summi Pontifices addunt, quod sciant contemptores, & inobedientes se indignationem Petri, & Pauli incursuros, non intelligunt contra ipsos sententiam excommunicationis fulminari: tantum enim pœnam arbitrariam prędicta verba designant, art. 13.

Clausula, omni appellatione postposita, intelligitur de friuola, & legitima. Friuola autem est, quæ imponitur sine legitima causa, vt quando quis appellat, vbi non est grauatus iniustè, seu sine iusta causa interposita, quæ nullum poterit sortiri effectum iuris. Legitima è conuerso, art. 4.

Clausularum, inuocato ad hoc auxi-

lio,

lio, si opus sit, brachij secularis, &, supplentes omnem defectum, explicationem, vide art. 15. & 16.

CONFIRMATIO Prouincialis.

IN Ordine Minorum est Generalis, & eius delegati, confirmare electum Prouincialem, aut etiam infirmare, si indignum nouerit; secus, si aduerterit digniorem esse prætermissum, cum iure valeat electio digni prætermisso digniore. Nec necessariò debet præcedere examen dignitatis electi eius confirmationem, vt sit iuridica (quod est cõtra Collectorem Compendij, ex Clementina exijt) in contrarium enim est praxis recepta in Religione, nisi manifestum esset dubium de sufficientia, art. 5. tom. 2. quæst 52.

CONSECRARE Virgines.

VElum nigrum est quintuplex; Professionis, Consecrationis, Ordinationis, Prælationis, Continentiæ siue obseruationis, to. 1. q. 64. art. 1.

Professionis est, quod feminis datur 16. anno completo, & hoc portant in

Religione omnes professæ, siue virgines, siue viduæ. Consecrationis est, quod datur an. 25. ætatis. Ordinationis est, quod secundùm Canones datur anno quadrâgesimo, quæ ideo Diaconissa dicebatur, quia dabatur ei aliqua benedictio, ex qua accipiebat officium inchoandi Horas in Choro, & legendi Homiliam, quod alijs non licet; modò tamen non consueuit dari velum in hoc, neque expectari illa ætas; sed ex communi consuetudine hoc fit, quando consecratur, seu velatur, quod etiam fit ante vigesimumquintum annum. ibidem.

Velum Prælationis est, quod Abbtissis quadragesimo ætatis anno dabatur, hodie tamen in minori ætate ad Abbatissãtus ministeriũ assumuntur. Velum continentiæ, seu obseruationis, est viduarum quidem; potest nihilominus etiam dari virginibus, licet virginale non possit dari viduis, etiam ex dispensatione Ordinarij. Imò nec omnes virgines velo consecrationis velandæ sunt, sed solum Religiosæ professæ tria vota essentialia in Religione approbata; imò nec omnes tales, quia neque Moniales Mendicantium, neque quædam aliæ. ibidem.

Velum continentiæ, seu viduarum, dari potest etiam a Sacerdote, quin

etiam.

etiam ipsa vidua accipere potest per seipsam ab altari, facta professione coram sua Prælata. Velare autem virgines nullus potest nisi Episcopus. Nec potest Episcopus committere non Episcopo. Similiter non possunt Prælati Mendicantium Moniales suas velare, nisi hoc habeant ex concessione Papæ. articulo 2.

Quæ nõ est virgo materialiter, id est, quæ peccato mortali passa est apertionem claustri, vel pollutionem sine apertione, secundum omnes grauiter peccat, petendo consecrationem; tamen nõ tenetur se diffamare, cùm illud sit iuris Canonici. art. 3.

CONSERVATORES.

DE iure positiuo Conseruator tentatorum, seu iniurias patientium, vt pupillorum, viduarum, & aduenarum, aliarumque miserabilium personarum, est Princeps, Rex, Imperator, & isti quidem sunt ordinarij. tom. 1. quæst. 65.

Alij sunt Conseruatores non ordinarij, Iudices videlicet delegati, qui morte concedentis extinguuntur, ibid.

So-

Solus Papa poteſt Iudices Conſeruatores concedere, nec alios quam Epiſcopos, Abbates, & in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutos. art. 2.

Plurimi dicunt Prælatos Minores per Clementinam exiuit, prohibitos eſſe ne poſſint conſtitui Conſeruatores aliorum Ordinum, quòd non videtur verum; ſed bene per generales conſtitutiones ob indecentiam, cùm eiuſmodi munus, ſine iuridico litigio, & diſpenſatione rerum temporalium, nō poſſit exerceri, articulo 3.

Requiſiti a Fratribus, vt Conſeruatorum miniſterium acceptent pro ſubleuatione grauaminis ſibi illati, idque recuſantes, mortaliter peccant, excommunicanturque per Iulium II. art. 4.

Nominato in aliquâ cauſa a Fratribus Conſeruatore vno, non poteſt a dictis Fratribus pro eadem cauſa alia perſona nominari, etiam ipſo Iudice nominato conſentiente, niſi vel infirmitate, vel alia iuſta cauſa illum contingeret impediri, aut ſi nollet, vel malitiosè in eo procederet. art. 5.

Quilibet tamen Conſeruatorum, & Iudicum præfatorum poteſt proſequi articulum per alium inchoatum, tametſi inchoans nullo Canonico impedimento præpeditus ſit, iuxta priuilegium Patri-

bus

bus Societatis concessum. Ita habetur in Compendio Societat.ibidem.

Conseruatores electi, virtute conseruatoriarum Religiosis concessarum, licèt sint Iudices delegati; eorum tamen delegatio, & iurisdictio morte Pontificũ ipsas concedentium non expirant, quia priuilegia concessa Religiosis non sunt personalia, sed realia, quæ semper durãt. art.6.

Cónseruatores Fratrum possunt agere in aduersarios etiam extra Diœcesim degentes, & trahere ad se citationibus, modò non distent vltra tres dietas computandas a limitibns Diœcesis, in qua degit citandus. Dieta autem secundùm plures continet viginti leucas. articulo 7.

Conseruatoriæ quoad negotia cœpta non durant post quinquennium. articulo 9.

Conseruatores Fratrum, ex priuilegio Gregor. X I I I. facto Iesuitis, possunt delegare alium, qui in dignitate, vel personatu constitutus sit in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis, art. 10.

Dicti Conseruatores iure communi, possunt tantùm cognoscere de notorijs iniurijs factis Fratribus, & possunt cognoscere an res sit notoria, sed inspiciẽdum

dum est quid ferat rescriptum Pontificis, art. 11.

Tunc dicitur manifesta iniuria, & violentia inferri, vt pateat aditus Iudicibus Conseruatoribus cõtra laicos procedendi, quando Monasterium, & Religiosi sua possessione perturbantur, aut eorum priuilegia, exemptiones, & immunitates violantur, ibid.

De quibus causis ciuilibus, & damnis temporalibus possint cognoscere, & agere Conseruatores, vide in Authore, ab art. 11 ad 16.

Conseruatores Mendicãtium possunt agere etiam per censuras contra quoscumque tam Ecclesiasticos, quàm seculares, & Doctores Vniuersitatum, licet ipsi ex priuilegio habeant a Papa Conseruatores, art. 15. & 16.

Regulares possunt eligere Conseruatorem pro iniuria facta oblato, aut seruo manenti intra claustra sub illorum obedientia, art. 17.

Dicti Conseruatores possunt procedere sine strepitu, & figura iudicii, quemadmodum faciunt Religiosi in suis iudiciis, art. 18.

Conseruatores suam excedentes potestatem scienter, eo ipso per annum ab officio sunt suspensi, & lege regali priuantur naturalitate, art. 19.

CON-

CONSVETVDO.

Consuetudo est ius quoddam non scriptum, moribus, id est, assiduis actibus constitutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex, tom. 1. quæst. 66. art. 1.

Vt consuetudo iusta censeatur, necesse est primò, vt sit rationabilis, qualis esse nequit contra ius diuinum, & naturale; bene autem contra legem humanam, quam potest tollere etiam tūc, cum non constat clarè de consuetudinis iniustitia: præsumitur enim tunc quòd sit rationabilis; secus, si euidenter fuerit mala, ibidem.

Vt consuetudo iusta censeatur, requiritur secundò, quòd sit legitimè introducta, & præscripta. Ad quod necesse est primò, vt actus, per quos introducta fuit consuetudo, eo animo fiant, ac si lege præcipiente fierent. Secundò, vt consuetudo actibus continuatis sit frequentata, ibid.

Quot actus sint necessarii, inter Doctores controuersum est. Panormitanus vult, quòd si actus vnus habet caussam successiuam, & continuationem temporis habilis ad consuetudinem inducendam sufficit, & consuetudo inducitur;

citur; vt si beneficium seculare confertur regulari, & ab eo possidetur spatio quadraginta annorum, efficitur regulare, licet sit vnus ratione rei actæ, quæ est vna, virtualiter tamen est multiplex, propter temporis diuturnitatem, in qua possent esse multiplices. Alij duos actus volunt sufficere; at Rodericus ad hoc determinandum putat, ad arbitrium boni viri recurrendum esse, ibid.

Tertiò, vt consuetudo sit legitime introducta, & præscripta, necessarium est, vt tali consuetudine certo temporis spatio vtatur; ad hoc verò spatium quidam decem annos satis putant; alii quadraginta exigunt. ibid.

Quartò, necessarium est, vt personæ actus consuetudinem introducentes habeant authoritatem; vnde pueri, mulieres, furiosi, non computantur, ibid.

Nulla consuetudo potest Religiosos eximere ab essentialibus Regulæ præceptis, vt paupertatis, castitatis, & obedientię, quia non potest esse rationabilis, cum ius diuinum concernant, art. 2.

Obseruationes accidentarias non tantum potest mitigare, sed etiam omnino abolere cum consensu saltem tacito, & interpretatiuo proprii Superioris. Superior autem in huiusmodi non est Prouincialis, aut Generalis, cum ipsimet sint re-

gulæ

gulæ ſubiecti,ſed Papa,aut Protector Ordinis, ibid.

Taciti,& interpretatiui conſenſus Superioris vix poteſt haberi moralis certitudo, cum Summus Pontifex relaxationum notitiam non habeat; videant tamen Fratres, & ſimiliter attendant an per 40. annos talis mos per aliquod ſtatutum generale, aut prouinciale, non fuerit interruptus; quod ſi fuerit factũ, corruptela eſt,non conſuetudo, ibid.

CONVENIRI.

Vide debita, Clauſtrum, Exemptio, Monaſterium, Procurator.

Regularis degens extra clauſtrum ob crimen,poteſt conueniri coram Epiſcopo, non autem degens intra clauſtra, niſi deliquerit extra clauſtra notorie cum populi ſcãdalo,ſi a ſuis Superioribus non puniatur monitis tamen ab Epiſcopo,vt id faciant. Ex Concil. Trid. tom. 2. q. 2. ar. 8.

Non dicuntur degere extra clauſtra, qui cauſa prædicationis,confeſſionis,vel alicuius rei ad tempus, non permanenter,

ter, extra Monasterium morantur, sed qui habent extra illud domicilium speciali licentia, seu priuilegio, quales non sunt, qui secundum regularia instituta inseruiunt beneficio, vel adiiciuntur alicui Monialium Monasterio, ibid.

Abbas conueniendus est coram Ordinario, cum non possit coram suis Monachis ex iure. Similiter si conueniendus sit Conuentus ob debita, nisi possit adesse iudex Regularis sine terrii detrimento, quo casu locum habent priuilegia Religiosis concessa. tom. 2. quæst. 62. art. 5.

Non potest Monachus capi, aut incarcerari ob debita ciuilia. ar. 6.

Plurima prosequitur author ab art. 10. ad finem vsque quæst.

CONVENTVALITAS.

Vide Legitima, Paupertas.

INnocentius Quartus statuit, vt primitiua Fratrum Minorum habitacula (quæ loca tantum appellabãtur) Cõuentus vocarentur, vnde Fratres Conuentuales appellati sunt. Sicut & aliorũ Mendicantium, ac Regularium habitationes cęperunt vocari Conuentus. to. 1. q. 4. ar. 1.

Anno

Anno 1517. Fratrum de Obseruantia, siue de familia Superior fuit constitutus Generalis totius Ordinis, vt Regula disponit, ar. 2.

Nomen Conuentualium, distinguit Fratres priuilegiatos a Reformatis, qui de familia vocantur. art. 1.

Cui simile etiam ferme cōtigit in aliis Ordinibus. art. 3.

CONVERSI.

Vide Oblatus.

CORPORALIA.

Vide Laici, & Benedicere.

CVSTOS.

NOmen Custodis in nostro Ordine Minorum sumitur aliquando generaliter, & sic conuenit Ministro generali, vt cap 8. Regulæ. Item Prouincialibus, ibidem vbi Ministri, & Custodes pro eodem sumuntur. Item Guardianis, vt cap. 4. iuxta declarationem Nicolai III. & IV. Magist. Aliquando sumitur specialiter, pro prçlatura distincta ab istis, vt c. 8. tom. 1. q. vlt. ar. 1.

Cu-

Custodes (specialiter sumpto hoc nomine) duo munera habent ex regula, regendi scilicet Fratres in suis custodiis, quorum sunt veri Prælati, & eligendi, atq; deponendi Ministrum generalem. ibidem.

Leo X. concessit Fratribus de Obseruantia, vt sigillum Ordinis, & nomina Prælatorum vera, & propria, quæ Seraphicus Pater in regula sua instituit, apud eos essent. ibid.

Idem decreuit, vt mittendus cũ Prouinciali ad Capitulum generale antea dictus discretus discretorum, diceretur Custos Custodum, qui est Prælatus habitualis, seu titularis, non actualis, cũ desit ei custodia, ibid. & ar. 2.

Quantum ad authoritatem Custodum actualium, vltra prædictam quam habent ex regula, tanta erit, quantam eis Ministri generales, vel prouinciales, vel Constitutiones, aut summi Pontifices contulerint. ar. 2.

Cum sint verè Prælati habentes iurisdictionem non tantum localem, sed Episcopalem, possunt visitare conuentus sibi commissos. ar. 3.

Item conuocare, & celebrare custodiale Capit. vi regulæ, in quo tamen nõ possunt institui Confessores, & Prædicatores, aut Guardiani, nisi accedat facul-

cultas Apostolica. articul. 4.

Officium Custodiatus durat vsque ad electionẽ alterius: maxime enim expedit, vt semper sit custos in Prouincia ad omnem euentum. ar. 6.

Si per mortem, vel longam absentiam vacauerit custodiatus, alius eligi potest a Prouinciali, & prouinciæ discretis; similiter si impeditus fuerit, vel per negotiũ magni ponderis, vel per ægritudinem, aut illius immines periculum ex longo itinere, iudicio Medicorum, incurrendũ. Secus, si non impeditus vellet libere renunciare, quia hoc casu non habent Prouinciales, & discreti authoritatem eligendi alium. ar. 5.

DEBITA.

Vide Conuentri, Nouitius.

REgulares possunt conuenire laicos debitores coram Iudice seculari Ecclesiastico, aut laico, pro qualitate causę. ar. 4. to. 2. q. 62.

Debitor ingrediens Religionem in fraudem creditorum non est recipiendus ad Monachatum; si tamen ingrediatur, ipsum Monasterium satisfacere debet creditoribus de bonis per eum allatis.

latis. Quę quidem procedunt, quando debitor ingreditur Monasterium, antequam illum creditor capiat, & executionem aduersus illũ faciat: secus enim potest conueniri coram Iudice seculari. artic. 6.

DECIMAE.

Vide Excommunicatio, Tributum, Exemptio.

Moniales priuilegio, & ratione ipsa nõ tenentur soluere primitias, decimas, & census, & alias quascumque collectas, & exactiones Episcopales, nisi sint sufficienter dotatę. Porrò quia de sufficientia magnum erat dubium, Gregor. XIII. ad Clarissas decreuit hanc dotem tantam esse debere, vt vnaquæque Soror habeat annuatim 25. Ducatos de Camera, quæ quidem constitutio Greg. XIII. hactenus non est reuocata. tom. 3. q. 74. ar. 16.

Mendicantes ex multis priuilegiis, & præsertim ex amplissimo dato Patribus Iesuitis a Paulo III. & Greg. XIII. nullam decimam, vel contributionem etiã Papalem pro quacunque causa ex omnibus prędiis, & bonis suis quomodocũque

datis,

datis, aut acquisitis debent soluere, nec similiter eorum coloni, aut arrendatarij temporales, quod iustissimè potuit facere Pontifex, cum sit Dominus absolutus omnium eiusmodi bonorum: immò Ioannes XXII. cõcessit Carthusianis, vt possint recipere decimas a suis colonis, aliàs debitas Ecclesiasticis, etiamsi iam essent in possessione, tom. 2. q. 44. art. 4.

Lucius III. & Bonifacius VIII. idem concesserunt Fratribus S. Ioannis Hierosolymitani pro prædiis, & terris quas ipsi per se, vel per alios, ad tempus, non in perpetuum excolunt, ibid.

Multa alia similia priuilegia data sũt Cistertiensibus, & aliis, ibid.

DECLARATIO.

Vide Lex, Oraculum.

INnocent. VIII. & Leo X. concesserunt Superioribus Prędicatorum, & Minorum, vt cum consilio aliquorum Patrum (quando res est momenti) possint authoritate suæ Sanctitatis declarare omnia subditorum dubia, adeò, vt securè possint, & debeant subditi acquiescere, to. 1. q. 11. art. 5.

Idem Leo X. amplians prædictã concessionẽ statuit, quòd scrupulosi possint

ſecura conſcientia in omnibus ſtare declarationi ſui Guardiani, & cuiuſcumque alterius Prælati. Sub quo comprehenduntur Vicarij, & Præſidentes in abſentia Guardiani, ibid.

Dubia orta ex verborum ambiguitate, Iuriſperitorum interpretatione, in fauorem Regularium ſunt ſemper intelligenda. Ex conceſſ. Leon. X. & Iulii I. art. 6.

DEGRADATIO.

Vide Eijcere è Religione.

Degradatio eſt duplex, verbalis, quę fit ſolis verbis priuantibus Clericum, aut Religioſum omni dignitate & priuilegio clericali; & actualis, ſiue ſolemnis, quæ fit verbis, & cæremoniis. Poſt hanc ſtatim poteſt Iudex ſecularis accipere degradatum. Quæ ſuo modo applicanda, & moraliſanda ſunt in ſimplici eiectione, & exutione Monachi a Religione: nam eiectio verbalis, quæ eſt, quando ſententia diffinitiua datur contra Fratrem eiiciendum, æquiparatur verbali depoſitioni; actualis verò exutio habitus actuali degradationi, to. 1. q 23. art. 4. & 5.

Epi-

Episcopus secundum veriorem sententiam potest restituere degradatos verbaliter, non autem degradatos actualiter, quia id solus potest Papa, art. 5.

Prælati authoritatem quasi Episcopalem habentes possunt recipere ad Ordinem eiectos cum habitu (quod & olim factum est) & restituere verbaliter priuatos omni priuilegio Regulari, sed nullo modo eiectos sine habitu, & tõsura, ibi.

DESCENDENTIA.

Vide Electio, Nouitius.

DEscendẽtes ab Infidelibus, Iudæis, & hæreticis, quorum aliquis parentum in linea recta vsque ad quartam generationem inclusiuè fuit concrematus, aut eius ossa, aut statua igni tradita, sunt inhabiles ad omnes dignitates, & officia Religionis, per plures cõstitutiones, & graues admodum pęnæ infligun tur in eligentes. Et electus eiusmodi iurisdictione caret. Licet dicant aliqui extare Bullam in Conuentu Aracæli restringentem ad secundum gradum ex parte paterna, & ad primum ex materna, to. 1. q 14. art. 1. 2. & 7.

Certum est, descendentes ex genere ma-

maculato intra quartum gradum esse iure inhabiles ad dignitates Ecclesiasticas; tamen non incidunt in graues pęnas Pij IV. & Pauli IV. nisi eorum genus, aut effigies eius fuerit igne cremata, art.2.

Vt descendentes ab hæreticis incurrant pęnas contra ipsos in iure positas, necessarium est, quòd ab ipsis descendant, postquam dictum crimen hæresis commiserunt, & non sufficit quòd ante commissum, ab ipsis originem trahant, art. 3.

Vbi est certitudo de descendentia, res per se clara est; si autem sit dubium, aut tantum semiplena probatio, quòd ante commissum crimen natus sit, semper est præsumendum quòd non descendat à maculato genere, sicque dictas pœnas non incurret, & tutus manet in conscientia, licet adsit dubium speculatiuum, ar. 3. & 4.

Si descendentes ex dicto genere maculato ad dignitatem promoueantur, ipso facto officiis suis sunt priuati, nec possunt illa sine mortali peccato exercere, nisi ratione alicuius magnæ necessitatis excusentur; v.g. quia si ipsa nó exercerent, proprium, vel alterius crimen occultum reuelaretur, art.8.

Similiter prædicti descendentes ex ma-

maculato genere officia prædicta habẽtes, iis renunciare minimè tenentur, si ex tali renunciatione timent probabiliter famam suam, aut progenitorum, detrimentum fore passuram; tenentur tamen petere dispensationem quàm citius fieri potest. ibid.

Præfati descendentes, qui non sunt in possessione ipsorum officiorum, si ad ea per electionem, aut alio quocumque modo admittantur, suæ inhabilitatis non ignari, tenentur dicta officia omnibus modis possibilibus renunciare. ibidem.

Vsque dum tolerantur in officiis hi descendentes, valent acta per eos facta, tenenturque subditi eis obedire, si tamen a Superiore sententia declaratoria eos esse comprehensos sub prædictis cõstitutionibus proferatur, tenentur subditi incontinenti ab eorum obedientia recedere. art. 8. & 9.

Eiusmodi descendentes, qui valide in nostra Religione professi sunt, durantibus scilicet constitutionibus Iulii Tertii, & Pii Quinti quibus prædictas constitutiones Clementis Septimi, Pauli Quarti, & Pij Quarti moderati sunt, possunt esse diffinitores, Magistri Nouitiorum, Vicarii conuentuum, quibus alius præsit Guardianus, aut Prior, Confessores Monialium, discreti Capitulares in

Capitulis prouincialibus, non autem generalibus, saltem in Ordine nostro Minorum. Quæ prædictæ Constitutiones, vtpote pœnales, restringuntur præcisè ad dignitates, & Prælationes, de quibus expresse loquuntur, eas scilicet, quæ verè sunt tales, & habent iurisdictionem ordinariam, vel quasi ordinariam, vnde minimè extendendæ sunt ad officia nominata, quæ talem non habent, artic. 11.

Possunt insuper esse Prædicatores, quia constitutiones Pauli IV. & Pij IV. hoc interdicentes, a Patribus Ordinis nō fuerunt receptę. Vnde constituentes aliquem ex supradictis Prædicatorem, non peccant mortaliter, neque incurrunt pęnas supradictas, art. 12.

Constitutiones Papales nullo modo ad Moniales nostri Ordinis descendentes ex genere maculato sunt extendēdæ, tum quia lex loquens de viris in odiosis non extenditur ad fœminas, tum quia non est in eis propriè iurisdictio ordinaria, art. 13.

DIF-

DIFFINITORES.

Vide illegitimus.

DIffinitores sunt quidam Patres in Ordine deputati ad iuuandos Superiores, sicut inter antiquos Senatores, in Republica ciuili Consiliarii, in Ecclesia Romana Cardinales. Eliguntur verò cum Generali, aut Prouinciali, quorum etiam Consiliarii vocantur, to. 1. quæst. 45. art. 1.

Habent prædicti Diffinitores in aliquibus Religionibus votum electiuum, ipsisque in modum compromissi Guardianorum committitur electio. Habent item votum decisiuum, ad decidendas res graues, quæ ad Capitula, & Congregationes intermedias deferuntur. Ad quod votum ferendum sunt destinati ex commissione ipsis facta per constitutiones. Tenenturque Superiores Generales, & Prouinciales hos cõsulere, eorumque sententiam petere, & sequi, sicut, & vicissim ipsi tenentur hæc omnia fideliter præstare, ibid.

In Religionibus, vbi Diffinitores habent votum decisiuum, nõ possunt Prælati Superiore sententiam aliquam grauem ferre contra delinquentem Mona-

chum sine consensu Definitorum, & sententia ab eis data, sine maioris partis cōsensu, nullius est valoris. Secus erit, si tantùm habent votum consultiuum pro forma non requisitum; quia si tunc Superiores petitum ab eis consilium non sequantur, sentētia iniusta erit quidem, at irrita, & nulla iure non erit. Si tamen omnino non petatur consilium ab eis, cùm a lege pro forma requiritur, in quocumque iure sententia nulla erit, quia hæc consiliorum petitio inter graues solemnitates censetur. art. 2.

Diffinitores in negotiis ad se spectantibus fauore, aut respectu humano procedentes, v. g. tacentes, nec audentes dicere verum, quia sciunt id displicere Superiori, grauiter peccant, quia ibi non sunt subditi, qui se debeant Superiori conformare, sed Consiliarij communitatis. art. 4.

Superiore asserente se habere iustam causam faciendi quidpiam, quam tamen non vult eis aperire, debent prudenter cauere a contumelia, & adulatione, suumque consilium ad tempus suspendere, & si quidem quandoque aliquibus Definitoribus a dictis Prælatis silentium esset indictum (quod tamen vix vnquam nisi iusta, & maxima causa contingere existimandum est) hoc casu illo-

illorum iussioni acquiescere necessarium est. art. 4. & 5.

Etiamsi concedatur, firmam omnino prælatorum mentem esse, eosque sententiam minimè mutaturos in aliqua electione, aut negotio peragendo; non ideo Definitores cùm ad sententiam proferendam rogantur, ab ea syncerè proferenda excusantur, nisi fortasse ex coniecturis non obscuris bonum publicum in maiorem ruinam lapsurum suspicantes ob prælatorum pertinaciam, silentium magis amplectendum iudicauerint. art. 6. & 7.

Diffinitor a Superiore vocatus, & non accedens sine causa, peccat contra obedientiam, & bonum commune. art. 9.

DISPENSARE.

Vide Abbatissa, Confessarij quoad dispensationem, Carnes, Illegitimus.

EPiscopi possunt Ecclesiæ thesaurum Religiosis dispensare, illis indulgentias concedendo, de licentia saltem præsumpta suorum Superiorum. Item possunt cum eisdem dispensare quoad interstitia, quod facere nequeunt Ordinum Superiores, nisi ipsi

minoores Ordines conferant, vt Abbates. tom. 1. q. 22. art. 7.

Prælatus inferior nequit dispensare in lege Superioris, sed bene in pœna cótracta per legis Superioris trásgressionem, dummodo non sit reseruata. Dispensare verò in lege, est obligationem legis tollere ab aliquo particulari, propter aliquam causam. Dispensare autem in pœna, est tollere prædictam pœnam iam contractam per legis transgressionem. art. 8.

Si pęna imposita sit non per legem, sed per Iudicem, & Prælatum ordinarium, non potest Snperior in illa dispensare, eam tollendo contra voluntatem ipsius Prælati ordinarij. Hinc generalis Minister nō potest pęnam latam a Prouinciali contra Fratrem aliquem, ipso renitente tollere, nisi suo officio functus fuerit, quia tum potest sine facultate Prouincialis moderni. Ex Trident. sess. 14. de reform. c. 1. ibid.

Possunt inferiores Prælati aliquando dispensare in lege Superioris; primò, ratione consuetudinis; secundò, in casibus leuibus, & iis qui frequenter accidunt, vt est lex ieiunii, & obseruationis festorum, in quibus recurrere ad summum Pontificem, vel ad alium Superiorem, esset omnino intolerabile. In his enim

ca-

casibus Prælati inferiores habent facultatem dispēsandi, interpretatiuè a iure, & Superioribus concessam. art. 9.

Non debent Prælati relinquere suæ conscientiæ subditos petentes ab ipsis dispensationem, vt verbi gratia, in die ieiunii cęnent, aut ante horam comedant, sed debent eis compati, & benignè dispensando a suis scrupulis liberare, aut ieiunium in aliud opus pium commutare. ibid.

Cùm Prælati Regulares iurisdictionem habeant ad similitudinem Episcoporum, possunt ipsi dispensare in omnibus casibus, in quibus possunt Episcopi. Vnde sicut Episcopi possunt dispensare in omnibus, in quibus non sunt specialiter prohibiti; ita etiam Prælati Religionum habētes iurisdictionem quasi Episcopalem, possunt dispensare ex iure in omnibus, in quibus specialiter non sunt prohibiti. art. 10.

Prælati Regulares possunt aliis dispēsandi authoritatem delegare, Hoc autē priuilegium Prælatis, pro tempore existentibus concessum, est perpetuum, & dat iurisdictionem ordinariam ex natura sua delegabilem. ar. 11.

Prouincialis potest dispensare cum Fratre, ne in casu aliquo obediat suo Guardiano, sed non in omnibus, nec

Generalis potest eximere Guardianum a totali obedientia Prouincialis, sed solus Papa huiusmodi exemptiones efficere potest. Vnde non possunt Generales efficere prædicatores generales ad libitum, sine licentia Prælatorum ordinariorum, tomo 1. quæstio. 23. articulo 3.

Nec potest Prouincialis expellere Religiosum incorporatum in prouincia, inauditum, & ad aliam remittere, solo titulo quòd sit in ea professus, ibid.

Regulares prælati non possunt dispẽsare in iure communi, vt cõstruatur Monasterium sine licẽtia Episcopi, ex Conc. Trid. nec vt de nouo erigantur, aut diuidantur prouinciæ, aut vna alteri subiiciatur, nec vt Frater ante 25. annum possit esse prælatus, nec ante 30. Episcopus, Generalis, aut Prouincialis, per similitudinem rationis, nec vt talis non sit sufficienter literatus, nec denique, vt quis habeat duos Guardianatus, aut Prioratus, art. 7. 8. 9. 10.

Prælati habẽtes iurisdictionem quasi Episcopalem possunt iure communi dispensare cum suis quoad irregularitatem in bigamia vera, & interpretatiua pro minoribus tantum Ordinibus. At cum bigamo similitudinario, id est, cum Religioso, qui professus, contraxit matri-

trimonium, & vxorem cognouit, possunt dispensare, vt ad maiores Ordines ascendat, q. 24. art. 2.

Possunt etiam cum suis dispensare in omnibus irregularitatibus ob vitium corporis contractis, vt sunt carentia oculi sinistri, lepra, pollicis amissio, scandalosa deformitas, mutilatio membri etiam occulti ex sua culpa, cum hæc nullo iuris loco Papæ reseruentur. articulo tertio.

Licet Prælati Regulares habeant iurisdictionem ordinariam circa subditos, & quasi Episcopalem, quoad absoluendum, & ligandum in foro exteriori, & interiori; non tamen quoad ordinandum (exceptis Abbatibus, si de minoribus Ordinibus sit sermo) vnde sicut non habent potestatem ad Ordines conferendos, ita non habent ad iudicandũ, an ordinandi sint irregularitate ob corporis vitium infecti, si de ea sit dubium. art. 4.

Possunt Episcopus, & Prælatus dispensare cum infirmo capitis dolore, Nauar. teste, vt illo cooperto celebret, ar. 5.

Sicut Episcopus dispensare valet cum irregulari, ex infamia facti, v. g. ex crimine notorio, sed non cum infami ex infamia iuris, v. g. cum conuicto de crimine nefando in iudicio, sic & Prelati, ar. 6.

Epi-

Episcopus potest dispensare cum irregularibus defectu scientiæ, & potissimum Religiosis, cum non ordinentur ad curá animarum, & ex continuo conuictu cũ doctis sit spes semper discendi, ne hoc est contra Conc. Trid. De examine promouendorum ad Ordines. ar 7.

Non possunt Prælati dispensare, nec Papa cum furiosis, lunaticis, & caduco morbo infirmis: sed cessante morbo, ipsorum est iudicare de tempore, & modo celebrandi. ibid.

Quanto tempore duret nouitiatus in fide, quo non potest neophytus ad Ordines maiores, vel minores promoueri, Episcoporum est assignare respectu secularium, & Prelatorum Religionum, respectu subditorum, quamuis Naua. innuat post decem, aut viginti annos non prohiberi ordinari, ibid.

Prælatorum Regularium est, iudicare de sufficientia Fratrum ordinandorum, hinc eorum literis testimonialibus, quibus examinatos testantur, & sufficientes, credere deberent Episcopi: nec vllo modo obstat Concil. Trident. ibidem.

Possunt Prælati dispensare in omnibus irregularitatibus, præterquam in ea quæ prouenit ex homicidio voluntario, mutilatione manifesta, & ad iudicium dedu-

deducta, præstatione auxilij, fauoris, & bigamia; in prouenientę tamen ex homicidio, & mutilatione omnino occultis, possunt per plures Pontifices. Quod valet, & est in vsu, modo tamen nullum inde scandalum sequi possit.

Item in homicidio casuali etiam manifesto, & facto causa defensionis cum aliquo excessu. articulo 9. 10. 11. 12. 13.

Prælati quasi Episcopalem iurisdictionem habentes, possunt dispensare cum propriis Fratribus, aut forensibus sui Ordinis, super irregularitate contracta ex administratione Sacramentorum in Cēsura, ex priuilegio Clem. IV. quin etiam in contracta ante ingressum ad Ordinē. art. 14.

Idem possunt cum Nouitiis irregularibus ante ingressum, habentibus tamē animum profitendi, ea nihilominus lege, vt si ante professionem egrediantur, in irregularitatem suam reincidant, artic. 15.

Permissum est iisdem prælatis dispensare cum Fratribus patientibus irregularitatem (pręterquam homicidii voluntarii, bigamiæ, & mutilationis membrorum) vt ad quascumque administrationes, & officia eligi, & assumi valeant. Ex Sixto IV. articul. 16.

Possunt

Possunt prælati Regulares restituere dispensatiue peracta pęnitentia subditos priuatos officiis, & inhabiles ad ea per constitutiones Apostolicas propter crimina grauia, vt sunt fornicatio, adulteriũ, stuprum, periurium simplex, & alia huiusmodi, si tamen summus Pontifex eorum restitutionem dispensatiuam Sedi Apostolicæ minime reseruauerit; non possunt autem dispensare in pœnis Ecclesiasticis debitis maioribus, siue grauissimis criminibus, qualia sunt sodomia, bestialitas, simonia, incestus, assassinatus, quia eorum iurisdictio erga subditos non est maior, quam Episcoporum erga Diœcesanos, quibus Alexander III. concessit posse dispensare modo prædicto cum suis Clericis. ar. 17.

Non possunt prælati dispensare cum Fratribus simoniace ad Ordines promotis, etiam in casu occulto propter rigorosam, & validam quoad hoc Sixti V. constitutionem prohibentem, tom. 1. q. 20. art. 13.

DISPENSATIO quoad vota.

PApa non potest dispensare Religiosum manentem vere Religiosum in

votis

votis essentialibus, quia illa sunt de in-trinseca ratione Religionis, sed potest dispensare, & efficere, vt Religiosus fiat secularis in toto, vel in parte, cum nusquã sit ei prohibitum, & possit dispensare in iure diuino, ex suppositione tamen quòd habuit ortum ab humana voluntate, vt optime Scotus. tom. 1. quæstio. 25. art. 1. & 2.

De facto dispensauit Pontifex cum Religiosis militaribus quibusdam in voto castitatis, quamuis adhuc obligentur ad castitatem coniugalem, ita vt non possint accedere ad alienas, quin sacrilegiũ committant. ar. 3.

Papa cum sit dominus omnium Christianorum in ordine ad fidem, & finem spiritualem, potest irritare omnia vota Christianorum, maxime autem Religiosorum, contraria perfectioni fidei, & vtilitati spirituali Ecclesiæ, & tamquã summus Vicarius Christi in omnibus dispensare, art. 5.

Prelati cum sint domini voluntatis Religiosorum, possunt non tantum dispẽsare cum causa, sed & irritare omnia vota subditorum facta post professionẽ, etiamsi sint de re præcepta, vt de non furando, non mentiendo, &c. tollendo nouam obligationem illam: nisi votum excedat limites obedientiæ; vt si v. g.

esset

Possunt prælati Regulares restituere dispensatiue peracta penitentia subditos priuatos officiis, & inhabiles ad ea per constitutiones Apostolicas propter crimina grauia, vt sunt fornicatio, adulteriũ, stuprum, periurium simplex, & alia huiusmodi, si tamen summus Pontifex eorum restitutionem dispensatiuam Sedi Apostolicæ minime reseruauerit; non possunt autem dispensare in pœnis Ecclesiasticis debitis maioribus, siue grauissimis criminibus, qualia sunt sodomia, bestialitas, simonia, incestus, assassinatus, quia eorum iurisdictio erga subditos non est maior, quam Episcoporum erga Diœcesanos, quibus Alexander III. concessit posse dispensare modo prædicto cum suis Cleris. ar. 17.

Non possunt prælati dispensare cum Fratribus simoniace ad Ordines promotis, etiam in casu occulto propter rigorosam, & validam quoad hoc Sixti V. constitutionem prohibentem, tom. 1. q. 20. art. 13.

DISPENSATIO quoad vota.

PApa non potest dispensare Religiosum manentem vere Religiosum in

votis

votis essentialibus, quia illa sunt de intrinseca ratione Religionis, sed potest dispensare, & efficere, vt Religiosus fiat secularis in toto, vel in parte, cum nusquã sit ei prohibitum, & possit dispensare in iure diuino, ex suppositione tamen quòd habuit ortum ab humana voluntate, vt optime Scotus. tom. 1. quæstio. 25. art. 1. & 2.

De facto dispensauit Pontifex cum Religiosis militaribus quibusdam in voto castitatis, quamuis adhuc obligentur ad castitatem coniugalem, ita vt non possint accedere ad alienas, quin sacrilegiũ committant. ar. 3.

Papa cum sit dominus omnium Christianorum in ordine ad fidem, & finem spiritualem, potest irritare omnia vota Christianorum, maxime autem Religiosorum, contraria perfectioni fidei, & vtilitati spirituali Ecclesiæ, & tamquã summus Vicarius Christi in omnibus dispensare, art. 5.

Prelati cum sint domini voluntatis Religiosorum, possunt non tantum dispẽsare cum causa, sed & irritare omnia vota subditorum facta post professionẽ, etiamsi sint de re præcepta, vt de non furando, non mentiendo, &c. tollendo nouam obligationem illam: nisi votum excedat limites obedientiæ; vt si v. g.

esset

esset de ingrediendo arctiorem Religionem, in quo tamen etiam possunt ad petitionem subditi dispensare, non irritare. art. 4.

Eadem omnino possunt in Moniales sibi subditas; earum tamen Abbatissa, vtpote carens iurisdictione spirituali in eas, non potest dispensare; bene autem irritare, propter dominatiuam potestatem quam habet in suas. art. 7.

Non peccant Prælati aut Abbatissæ vota subditorum sine suo consensu facta irritando, sicut nec subditi, & Moniales dictam irritationem petendo sine causa, cum sub tacita conditione Deo promiserint, videlicet si eorum Prælati non irritarent. ibid.

Omnia vota personalia, & mixta cessant emissa professione in Religione aliqua approbata. art. 8.

Tempore Nouitiatus non tenetur Nouitius ad vota illa, quæ non potest implere in Religione. Sed ad alia quæ potest, tenetur; in his autem possunt Prælati dispensare, & commutare in opera seu exercitia ab ipsis in Religione fieri solita, cũ habeant in eos iurisdionem, licet non dominationem. Si tamen redeat ad seculũ Nouitius, non prodest dispensatio. art. 6. & 8.

Ex concessione Eugenij IV. facta Benedi-

nedictinis, possunt Prælati regulares dispensare cum illo qui habet votum intrandi, v. g. Carthusiam, vt possit profiteri in Ordine Mendicantium iusta tamen causa interueniente; qualis est, si putet gratius Deo famulatum dicare in hoc Ordine quam arctiori. art. 6.

Prælati iurisdictionem quasi Episcopalem habentes possunt dispensare in omnibus obseruantiis Regularibus, exceptis essentialibus, & intrinsecis, nisi eis expresse sit prohibitum. Obseruātia autem comprehendit tam contenta in iure Regiosos concernentia, quam in statutis, & Regula (demptis tribus votis) etiam obligantia ad mortale, vt sunt pleraque præcepta in Regula Minorum, Sanctæ Claræ, & Iesuitarum, in quibus posita causa licet non sufficiente, nec necessitante ex Regula, possunt Prælati cum aliquo in particulari dispensare, & sua dispensatione supplere defectum necessitatis, ita vt Frater minime peccet. tom. 1 q. 26. art. 1.

Obligatoria nostræ Regulæ Fratrum Minorum, præter tria vota nullo modo debent dici vota, sed tantum præcepta, & per consequens dispensabilia sunt sine abolitione status Minoritici. art. 4.

Ad maiorem conscientiarum securita-

tatem Pius II. concessit Prælatis Fratrum Minorum, vt possint dispensare in multis Regulæ præceptis quę refert, vt de ieiunio, calceamentis; vnde non sunt condemnandi vtentes eiusmodi concessione. art. 1. & 2.

Corduba approbat contra Collectorem priuilegiorum concessionem Leonis X. factam Minoribus, vt possint recipere triticum ac alias res superabundantes, quib. Fratres non habent necesse in propria specie vti, aut non in tanta quantitate, vt per Syndicum commutentur aut vendantur, & exinde necessaria alia emantur. art. 3.

Pij II. concessio extenditur etiam ad Guardianos & Præsidentes in eorum absentia. Qui malè faciunt petenti dispensationem, verbi gratia, equitandi cũ aliquali caussa, dicentes: Committo tuæ conscientiæ, quin potius debent benignè vti concessione, nisi fraus appareat, aut id vergat in obseruantiæ relaxationem. art. 5.

Subditus absens a Superiore potest vti epicheia, existimans in tali casu rigorem legis secum esse mitigandum: sed vbi est manifesta necessitas, quia maior esse debet, vt a peccato excusetur, quam vt a prælato dispensetur. ibidem.

Affirmant quidam posse prælatos in his

his omnibus secum dispensare, sed alij negant, cum sit actus iurisdictionis spiritualis, quam nemo habet in seipsum. Prudenter ergo facerent, si a maioribus prælatis obtinerent, vt in eiusmodi possent dispensari a suis Confessarijs, aut (cum possint dispensare ratione iurisdictionis ordinariæ delegabilis) si delegarent suam auctoritatem Confessori ab ipsis electo, a quo possent dispensari. articulo 6.

Tam petens quam dans dispensationem sine iusta causa peccat. Imò nisi detur a summo Pontifice in foro conscientiæ non valet. Ea etiam cum causa rationabili data, rarò vtendum est, cum experientia doceat multa mala in Ecclesia, & Religionibus accidisse ex frequentiori huiusmodi dispensationum vsu. artic. 7. & tom. 2. quæst. 46. articulo quarto.

An grauius peccet dispensans, an petens sine causa, dubium est. Videtur tamen quod concedens, licet in vno, & altero possit esse veniale, secluso scandalo, & aliis malis, quæ inde emergunt. artic. 5.

Prælato præcipienti aliquid contra Regulæ præcepta, si adsit iusta causa, subditus debet bene sentire, scilicet, quod tūc dispenset; sed si sine causa apparente,

de-

debet reuerenter monere, se non posse in hoc sine dispensatione obedire: nam *Prælato* præcipienti contra Regulæ pręcepta, & non cum causa dispensanti, nō tenetur quis obedire, ar.10.

Dispensatio contra ius commune est strictè interpretanda, ita tamen, vt seruetur proprietas sermonis, & respectus detur ad tacita,& accessoria,quæ ex præcedentibus & subsequentibus colligun-tur. Quando autem est gratiosa, aut in corpore iuris inclusa, latè est interpretanda. art.11.

DIVINVM OFFICIVM.

Vide Monialis.

AD sedandos scrupulos Leo X. concessit, quod Fratres Minores satisfaciant officio secundum Regulam, dicendo illud ambulando, sedendo ob aliquā causā, nō integrè pronunciando per imperitiā, aut negligentiam, aut defectum linguæ, seu alias qualitercumque imperfectè cum distractione dicant, dummodo hæc ex malitia non faciant. Et similiter dicentes cum aliis, quòd non teneantur repetere ab iis imperfecte pronunciata, aut nō integre audita ob strepitū, aut di-

diſtantiam qualitercũque, & prȩſertim in choro. Quod ſi aliquid omiſerũt, ſatius eſt, vt dicant, ad ſupplendũ omnem defectum, vnum Pater, & Aue, aut orationem quæ incipit, Sacroſanctæ, &c. ex eodem Leone. tom. 1. q. 24. art. 2. & 3.

Idem Leo conceſſit, vt omnia quæ ſecundum rubricas debent dici ſecreto, non teneantur pronunciare verbaliter, ſed poſſit tantum mentaliter, quod ſane eſt priuilegium. art. 4.

Idem conceſſit Minoribus indulgentiam medietatis peccatorum commiſſorum illo die, quo officium ex libro recitauerint. art. 6.

Prælati poſſunt diſpenſare cum Fratribus infirmis in officio diuino, ſi non valeant illud legere ſine tædio, aſſignando eis aliquid aliud ad arbitrium ſuum; tutique ſunt Fratres ex Eugenio IV. qui etiam cõceſſit, cum ipſis Prælatis quemlibet Præsbyterum per quemuis eorum eligendum, ſimili, modo diſpenſare poſſe. art. 7.

Fratres Minores itinerantes poſſunt ſatisfacere officio, dicendo Horas vel ſeparatim, vel cum aliis, cum quibus ſe inuenerint: licet non ſecundum vſum Romanum, per Innocent. IV. nec contradicit Bulla Pij V. in principio Breuiarij. art 8.

Non

Non erit peccatum mortale, si cum fieri deberet de Feria, faciant de Festo bis, terve: secus si sæpius, propter notabilem peruersionem Ordinis Breuiarij. ibidem.

Leo X. pro scrupulosis, concessit Fratribus Minoribus occupatis aliqualiter, & occupandis, vt possint anteponere, & postponere, dicendo Matutinum Vesperi, & manè cætera vsque ad Vesperas exclusiue, sine peccato, etiamsi occupatio non sit multum necessaria. Vrgente verò necessitate idem concessit, vt possint mutare officium Feriæ in officium Sancti. Ad hæc refert Veracruz Pium V. concessisse quod Fratres sine scrupulo possint dicere Matutinum ante Solis occasum, & manè ratione itineris aut alterius occupationis, reliquum vsque ad Completorium inclusiue, cum credunt se deuotius tunc dicturos. artic. 5. & 18.

Moniales Sanctæ Claræ sub cura Minorum degentes, non tenentur sub peccato ad officium Defunctorum, septem Psalmos, & canticum Graduum: sicut nec ipsi Minores. Ex Leone X. artic. 14.

Probabile est, Minores teneri certis diebus ad Officium B. Mariæ in choro, per antiquam consuetudinem Ordi-

dinis præſcriptam, ex mente Pij Quinti, ibidem.

DONARE.

Vide Eleemoſyna.

DOnatio, eſt datio liberalis ſiue irredibilis, id eſt, recompenſationem non intendens. Vel eſt rei licitæ, nullo iure cogente, mera liberalitate facta collatio. Eſtque duplex, videlicet inter viuos, & cauſa mortis. Donatio inter viuos eſt, quando rem, quam dono, malo habere eum, qui dono, quàm me. Donatio cauſa mortis eſt, quando rem, quam dono, malo ne habere, quam illum, cui dono, ſed magis illum, quam hæredẽ. Hæc eſt reuocabilis, illa irreuocabilis. Ex iure. tom. 2. q. 47. art. 1.

Donatio omnium bonorum præſentium, & futurorum licet iure ciuili non valeat, valet tamen per Canones, facta Eccleſiæ, aut pio loco principaliter; ſed eiuſmodi Eccleſia, aut locus tenebitur ad debita, & alimenta donantis. Dixi principaliter: nam licet donarentur omnia bona præſentia, & futura Titio, v. g. ea lege, vt alicui Monaſterio faceret eleemoſynam, donatio eiuſmodi non teneret. art. 2.

Per Clementem VIII. anno 1599. prohibiti sunt Regulares donare; intelligendum tamen est de donis gratiosis, non remuneratoriis semper licitis, conformibus legi naturæ, modo non vitientur simonia. art. 3.

Fratres Minores nunquam possunt dare, nisi concurrentibus quatuor ex Nicolao III. & Leone X. Primò, res debet esse vilis determinata a Superiore. Secundò, necessaria est licentia Prouincialium, non Guardianorum, nisi ex consuetudine quæ iam videtur esse in vsu, & in minimis sufficit generalis, & præsumpta licentia. Tertiò, quòd res donanda sit mobilis: & immobilibus enim, puta de horto, domo, &c. facta donatio, est nulla. Quartò, res donanda non debet esse pecunia, cum illius vsus sit illis interdictus. Eadem licentia requiritur ad acceptandum a potente donare, attamen ad recipiendum videtur sufficere præsumpta licentia, quæ est, quando id, quod donatur ipsi Fratri, est necessarium, statuique, ac Regulæ consentaneũ, art. 4.

Donationes Nouitiorum, etiam cum iuramento ob causam piam factas ante completum decimum mensem Nouitiatus, quæ aliàs secuta professione confirmantur, Concil. Trid. sess. 25. De Regula-

latibus; cap. 16. annullat, & irritat. Quod extenditur etiam ad donationes factas ante ingressum, intuitu tamen ingressus Religionis art. 8 & 9.

Donatio causa mortis facta a Nouitio valet, cum talis non possit auferre libertatem ad vouendum, vtpote reuocabilis, art. 10.

Professione facta, sed irrita existente, si reclamet intra quinquennium, sicut irritatur professio; sic & omnis donatio, si facta sit secundum formam Concil. Trid. art. 11.

Ad tollendam omnem doli suspicionem, expresse mandat Concil. Trid. donationem secundum eius formam debere fieri de licentia Episcopi, aut eius Vicarij, art. 14.

Hæc de donatione Nouitiorum, sicut, & alia contenta in cit. Sess. de Regular. non comprehendunt Iesuitas, vt expressè ibi dicitur, art. 16.

D O S.

Vide Alimenta, Monasterium.

CONcil. Trident. sess. 25. De Regularibus, cap. 3. definiens nullum Monasterium debere habere plures,

 quàm

quam vt commodè ex reditibus, aut consuetis eleemosynis ali possint, intelligit plures indotatos alendos expēsis Monasterij; vnde licet recipere plures cum dote sufficiente pro sua sustentatione, sed caueri debet simonia, cum plerumque accipiantur munera intuitu receptionis, non sustentationis necessariæ, tom.2.q.48.art.1.

Si Monasterium sit sufficienter dotatum, accipientes dotem vix excusari possunt a simonia, & nullo modo saltem ab auaritia, sicut etiam qui paciscuntur de maiori summa, quàm sufficiat ad Religiosam sustentationem, ibidem, & artic. 2.

Prælati possunt, & debent (sicut statutum est legibus ciuilibus) taxare summam communem pro sustentatione recipiendorum cum dote, secundum loca, tempora, & personas, statuto communi; quam summam possent in particulari minuere, modò semper remaneat sufficiens, etiam contradicente conuentu, art.3. & 4.

Parentes Nouitij dantes Monasterio dotem, nisi a Monasterio pignus accipiant, aut fideiussorem de datis mutuo, & Religiosi acceptantes ante factam professionem, excommunicantur per Concilium Tridentinum citatæ sessio.

cap.16.

cap. 16. ne videlicet inde quoquomodo libertas impediatur Nouitij, articulo 5.

Religiosæ paciscentes de dote, tenentur restituere totum id, quod superat taxam communem, & sufficientem, nisi ipse excessus ipsis liberaliter concedatur, art.6.

Monasterium potest petere compensationem dotis non solutæ tempore debito a parentibus professi, sed caueatur vsura, art.7.

Fraus de dote ex parte Nouitij iam professi, vt si verbi gratia promisisset, Monasterium successurum ad suam hæreditatem, cum tamen antea renunciasset legitimè, non dirimit professionem; efficit tamen, vt Monasterium non teneatur alere, sed potest a parentibus iuridicè petere alimenta, non manendo apud parentes, sed in Monasterio, cum sit verè Religiosus, artic.8.

ECCLESIA.

Vide Altaria, Aedificia, Hæreditas, Immunitas, Legatum.

ÆDIFICIA.

Vide Excommunicatio.

CAeteris paribus melius est, & Deo gratius fundare, & ædificare Ecclesiam Collegiatam, Regularem, præsertim Mēdicantium, quàm secularem, tom.2.q.49.art.2.

Non possunt hodie Mendicantes noua loca construere, nec constructa recipere, sine licentia Episcopi loci. Ex Trid. sess.25.de Regular.cap.3. Et hæc sufficit absque alia Summi Pontificis authoritate, art.3.

Non possunt Fratres mutare Monasterium de loco in locum, sine Papæ licentia, ex Bonifacij VIII. constitutione, non mutata quoad hoc per Conc. Trid. art. 4.

Potest tamen Generalis Monasterium non amplius commodum dimittere in manibus Ordinarij ex Sixto Quarto dicti Generalis conscientiam su-

ſuper hoc onerante. tom. 1. quæſt. 23. artic. 6.

Clemens IV. prohibuit Mendicantibus ædificare de nouo prope domum iam conſtructam Minorum, niſi intermediet ſpatium trecentarum cannarum in aere menſurandarum, vbi aliàs rectè menſurari loci diſpoſitio non permittit. Et quamlibet iſtarum cannarum voluit octo palmorum longitudinem continere, non obſtante varia locorum conſuetudine, art. 5.

Innocentius IV. ſtatuit, vt infra dimidiam leucam a terminis poſſeſſionũ Carthuſienſium, nulli Religioſo liceat conſtruere ædificium, aut poſſeſſionem acquirere, ibid.

Vrbanus IV. conceſſit Ordini Ciſtertienſi, vt nulla ædificia poſſint conſtrui intra vnum milliare ab Abbatiis, & eiuſdem Ordinis locis, ſub pœna excommunicationis, art. 5.

Leo X. ſpeciali priuilegio conceſſit Minoribus, quòd adueniente neceſſitatis caſu Eccleſiæ tam Fratrum Minorum, quàm Monialium Sanctæ Claræ, poſſint transferri, & mutari de vno loco ad alium, & locus prioris Eccleſiæ reduci ad vſus humanos; dummodo materia ædificiorum ponatur in alia Eccleſia, art. 6.

Ecclesia secularis facilè authoritate solius Episcopi potest fieri Regularis, sed sine præiudicio Clericorum siue beneficiatorum dictæ Ecclesiæ: ita vt alibi æquè prouisum sit eis, quia non potest Summus Pontifex concedere priuilegium cum præiudicio magno tertij. ibidem.

Fundatori non reseruanti sibi dominium Conuentus, & fundi Ecclesiæ ædificatæ pro Fratribus, potest Syndicus de consensu, & voluntate Ministri Prouincialis, & communitatis dare iuspatronatus ipsius successoribus, quia hæc donatio potiùs cedit in vtilitatem Fratrum, ex qua alij animantur ad construendum pro Fratribus, art. 7.

EIECTIO à Religione.

Vide Homicida, Promissio.

ALexander VI. concessit Generali, & Prouinciali, posse expellere spoliatos habitu incorrigibiles, ad quod Sāctus Bonauentura super Regulam Minorum, quæst. 12. dicit tria requiri saltem in foro conscientiæ. Primum, quòd Fra-

Fratribus, & fecularibus eorum delicta fint notoria. Secundum, quòd noceant aliis fuo malo exemplo. Tertium, vt probetur incorrigibilitas. tom. 1. quæſt. 30. art. 14.

Incorrigibilitas iudicanda eſt, quando ſæpe correctus de crimine pœnas nō vult ferre, nec culpas dimittere, vel ex pœnarum ſæpius iterata inflictione iudicio diſcretorum cognoſcitur non proficere. Hæc habent ſtatuta Fratrum Prędicatorum, ſecundùm quæ non poteſt expelli Frater, quamdiu vult corrigi; apud Minores verò incorrigibilis dicitur, qui ter conuictus, & punitus de crimine graui, vt eſt apoſtaſia, non fuit correctus. Vnde quarta vice poteſt expelli. ibid.

Talis vt ſuprà dicitur incorrigibilis de iure, ſed poteſt quis incorrigibilis de facto iudicari, ſi in primo crimine ſunt circumſtantiæ grauiſſimæ, art. 15.

Prælati volentes eiicere inſolentes, vtendo virtute conceſſionis Pii V non tenentur ſequi conſilium Seniorum, bene autem virtute conceſſionis Alexandri VI. niſi fuerint Generales, qui per ſeipſos dumtaxat poſſunt eijcere, art. 14. 15. 16. & 17.

Poſſunt expellere ob homicidium, & peccatum Sodomiticum perfectè, & ſæpius perpetratum, ſed non decet,

si pœniteant, nec assuescant, nec tutum esset in conscientia, cùm æquitas ibi desit, & misericordia. art. 18. & 19.

Consuetudo fuit olim eiiciendi incorrigibiles cum habitu; & tales poterat, & tenebatur Superior recipere; sed Alexander VI. Pius Quintus, & alii modò concesserunt posse tales sine habitu expelli, & totaliter seculares fieri; quo semel facto nunquam iure licet eiusmodi ad Ordinem recipere, sine Papæ mādato, nisi præscripta consuetudo ius contrarium in aliquo Ordine obtinuerit, qualis est in Minorum, & Prædicatorum Ordinibus. tom. 1. quæst. 23. art. 4. & 5.

Eiecti etiā iuridice non liberantur ab obligatione votorum, & præceptorum; sed tantùm suspenditur obligatio quoad ea quæ extra Ordinem seruare non possunt. Vnde si redeant ad eandem Religionem, non debent iterum profiteri; secus si ad aliam. articulo 20. & 29.

Innocent. IV. prohibuit vt Minores, quos Generalis, vel Prouincialis ab Ordine eiecerint, vel proprio motu egressi fuerint, non præsumant prædicare (cum sint infames) seu confessiones audire, nisi, de licentia Sedis Apostolicæ, aut prædictorum Ministrorum, ad alium tran-

transierint Ordinem. Et quod si contra huiusmodi inhibitionem, aliquid temerè fuerit attentatum, possunt dicti Ministri in illos excommunicationis sententiam promulgare. art. 21.

Eiectus cum habitu nunquam potest per seipsum illum dimittere; nec vllus Papa inferior valet in hoc dispensare: ideo propria authoritate illum temerè relinquens, est excommunicatus, a qua tamen excommunicatione videtur liberari, si bona fide, & sine scandalo assumat alium Religionis in genere habitum. art. 27.

Eiectus sine habitu potest, debetque vti habitu clericali Ordini suo conuenienti sine vlla Papæ dispensatione. ibidem.

Eiectus iustè de rigore iuris, non tenetur redire: hinc vbi rogarit, vt recipiatur, si non admittatur, potest tuta conscientia degere in sæculo. art. 21.

Eiecti, cum literis testimonialibus Superioris eiicientis, possunt intrare quemcumque Ordinem, etiam laxiorem, demptis Sancti Augustini hospitaliorū, & militaribus Ordinibus; sed sine illis literis nullum possunt ingredi prorsus Ordinem, nec recipi absque licentia speciali Sedis Apostolicæ. Ex Innocentio IV. art. 22.

Superior eiiciens non poteſt obligare eiectum, vt intra certum tempus ingrediatur alium ſtrictiorem Ordinem, cum exutus non ſit amplius eius ſubditus. artic. 23.

Eiecti debent ſe ſtatim ſubdere Epiſcopo, aut originis, aut alicui alteri, a quo poſſunt diſpenſari, ſi indigeant diſpenſatione, modo non ſit Papę reſeruata; quin etiam poterũt ab eo ad Ordines promoueri titulo beneficii (ſi habeant) aut patrimonii. ar. 24. & 25.

Eiecti cum remaneant incapaces proprietatis, non poſſunt ſibi acquirere, nec Monaſterio, a quo ſunt expulſi, cum deſinant eſſe Regulares, ergo nec dare, nec teſtari; ſed bona per eos acquiſita ſunt Eccleſiæ Regularis, aut ſecularis cui inſeruiunt, Pontificis, aut Epiſcopi, ar. 26.

Eiectus poteſt ſtatim a Iudice ſeculari puniri, etiam pœna mortis, vt docet praxis communis, niſi ſit Clericus, in quẽ tunc nihil poteſt ſecularis, niſi ei expreſſe tradatur, a Iudicibus uero Regularibus ſuæ Religionis condemnari tantum poteſt ad exilium, aut triremes, non ad mortem. ar. 28.

ELE-

ELECTIO.

Vide Episcopus, Abbatissa, Commissarius.

ELectio est idoneæ personæ ad dignitatem, vel fraternam societatem, seruata forma Canonica, facta vocatio: estque triplex. Prima, per modum scrutinii. Secunda, per modum compromissi. Tertia, per modum communis inspirationis. to. 2. q. 51. ar. 1.

Electionis per scrutinium faciendæ substantia trium scrutatorum numerum exigit, nisi collegii exiguus numerus excuset. ar. 2.

Scrutinio præmittitur iusiurandum, in Religionibus obedientia, vota deinde secretò exquiruntur; possuntque in negotiis grauissimis testes adhiberi, quo res citra omnem suspicionem fiat. articulo 3.

In scrutinio dandæ sunt suffragia pura & certa, non sub conditione incerta, & ambigua. art. 4.

Concil. Trident. sess. 22. de Reformat. capit. 4. prohibens illum posse suffragari in electionibus, qui non est in sacris, non comprehendit Monachos, nec

Men-

Mendicantes, ſed tantum Canonicos Regulares, nec requirit ætàtem 22. annorum, vnde illi ante ætatem ordinati, niſi ſint ſuſpenſi, poterunt habere vocem. art.5.

Superiores Ordinum Mendicantium poſſunt diſpenſare cum ſuis quoad electiones ex iuſtà cauſa, ibidem.

Iure communi prohibentur laici ſuffragari in electionibus Prælatorum; verum in Religione Minorum conſuetudo præſcripta contrarium obtinuit: vnde in quibuſdam prouincijs habent vocem in omnibus etiam paſſiuam: in aliis autem nec actiuam in omnibus, ſed tantum in receptione Nouitiorum, articulo quinto.

Poſſunt electores legitime impediti aliquem mittere Procuratorem ſuo nomine ſuffragaturum, ſaltem cum iureiurando de impedimento legitimo. Nec hoc abolet Concil. Trident. ſeſſ. 25. de Regul. cap. 9. vt expreſſe declarauit Sacra Congregatio, ſed tãtum abuſum antiquum, quo ſolebant ipſi Pręſidentes talem v.g. N. ſubſtituere in locum N. v.g. abſentis. art.6.

Sixtus V. præcepit, vt electiones ſuperiorum, & Officialium in Ordine Minorum de Obſeruantia, per ſchedulas clauſas fierent ſtatim coram communitate

tate comburendas, ad maiorem eligentium libertatem: alias irritat totũ. quod non comprehendit Moniales, quæ debent ſequi dictamen Concil. Trid. citatæ ſeſſ. c. 7. volentis, vt Superior, quicumque ſit, non ingrediatur Monaſterium, ſed recipiat vota Monialium ante cãcellorum feneſtellam. art. 8.

Electio poteſt coarctari ad certum genus perſonarum, verbi gratia, ad ſolos Guardianos, vel certam nationem, verbi gratia, Ciſmontanam, ſi tamen inter tales aliqui digni inueniantur, ſed non ad certas perſonas 3. aut 4. vocaliũ paſſiuorum, cum id expreſſe ſit contra libertatem, & ſacros Canones, ſine Papæ diſpenſatione, alias eſt irrita electio, & Præſidens id faciens in electione Prouincialis ſecundum Pium V. ſuo officio priuatus exiſtit, poſt ſententiam tamen Iudicis; in electione vero Guardiani non priuatur officio, ſed electio eſt nulla. art. 10. & 11.

Præſidens quantæcunque ſit auctoritatis non poteſt quempiam priuare voce actiua aut paſſiua, niſi ſeruato iuris ordine quoad ſubſtantialia, ſi non citetur, ſi non detur illi locus ſe defendendi: nec quidquam faciunt literæ Apoſtolicæ, nam ſic intelligendæ ſunt, vt ſubſtantia iuris, & præſertim natura-

lis,

lis,seruetur. Nec valent censuræ ad hoc latæ, fitque irrita electio, ar.12.

Omnis professus statim, atque emisit tria vota secundum Canones, videtur habere vocem in electionibus Prælatorum, quod conforme est consuetudini antiquarum Religionum; & Nauarrus id securius iudicat, nec noua consuetudo in contrarium est bona, nisi sit legitime præscripta. art. 13.

ELECTIO

Generalium, & Prouincialium.

Electio in Ordine Minorum Generalis assumendi ex vtraque familia alternatiua vice, fieri debet omnibus vocalibus vtriusque familiæ iuxta Papales Constitutiones; nec potest iam protendi vltra sexennium, nisi forte ad paucos mēses, sine Papę dispensatione, tom. 2. q. 52. art. 2.

Generalis canonicè electus, eo ipso quo pronunciatur electus, priuilegio Papali censetur confirmatus, nec eget alia confirmatione; quod & aliis Ordinibus iam concessum est. ar. 3.

Nicol. III. prohibuit, ne Minores possint mortuo Generali, eligere Vicarium

Ordi-

Ordinis, sine expressa Papę licentia; sed iam contrarium obtinuit consuetudo, vt habetur in statutis Toletanis Ordinis. art.4.

Electio Prouincialis in Ordine Minorum, videtur olim pertinuisse ad Capitulum generale, sed iam per Clement. V. pertinet ad prouinciale. Quod si electores (vt habent statuta Toletana) in varia placita diuisi, in vnius diei spatio non elegerint, Præsidens Capituli poterit secundum iuris communis dispositionem, quem voluerit, secundum Deum, eligere; idem est faciendum, si electores elegerint scienter indignum; si verò fuerit electio digni, prætermisso digniori, non debet irritari, bene autem indigni. ar.6.

In Prouincialem potest eligi omnis Frater idoneus, licet non sit de corpore Capituli, quod vsu receptum est in Ordine Minorum; non tamen alterius prouinciæ, nisi vrgente necessitate cum consensu totius definitorii. ar.7.

Potest Pontifex facere, vt secularis aliquis, & multò magis Frater alterius Ordinis, possit creari in Abbatem, qui erit caput, & prælatus Monasterii, licet id multum dedeceat, vt colligitur ex Trid. sessio. 25. de Regul. cap.21. Cum enim sit Rector Fratrum, ad perfectionem

ſuæ Regulæ decentiſſimum eſt, vt præeat exemplo, & experientia Regulam doceat.ar.8.& 9.

Legatus veriſimiliter diſpenſare poteſt, vt Frater vnus Religionis ſtrictioris,aut ſaltem æquè ſtrictæ, licet non laxioris Obſeruantię, in alia Religione eligatur in Prælatum, ar. 10.

Qui fuit quondam Prouincialis, modo duæ interfuerint electiones, poteſt iterum eligi, licet non omnino ſit completum ſexennium, ex Gregor. XIII. articulo 12.

Prohibitio iuris ne fiat electio ſucceſſoris ante completam defuncti ſepulturam,non ligat Mendicantes,ex Clemen. IV. præſertim quando occaſiones vrgentes id poſtulant.ar.13.

Stante ſtatuto ne Vicarius Conuentus eligatur in diſcretum qui mittatur ad Capitulum prouinciale, Viſitator etiam cum plenitudine poteſtatis iniuſtè diſpenſat cum eo, niſi adſit cauſa rationabilis, ar. 14.

ELE-

ELECTIO

Guardianorum, & Priorum Conuentualium.

LIcet iure communi electio superioris Conuentualis spectet ad Conuentum, tamen in Ordine Minorum per statuta a Pontificibus approbata, pertinet ad Definitores in Capitulo congregatos, per modum compromissi, quod Nauarrus iudicat conuenientissimum: extra Capitulum verò talium electio pertinet ad Definitores, vel ad Conuentum. to. 2. q. 53. ar. 1.

Guardianus electus, ex ipso censetur confirmatus ex Clem. IV. quod iam omnibus aliis Conuentualibus est concessum ar. 6.

ELECTIO

Abbatissarum, & Priorissarum.

ELectio Abbatissæ pertinet ad Conuẽtum, & debet fieri secundum formã Conc. Trid. sess. 25. de Reg. c. 6. & 7. to. 2. q. 54 ar. 1.

Electa

Electa monialis per ſcrutinium ſecundum Concilium Tridentinum, ſi ſit canonice electa, id eſt, ſi habeat duas partes ex tribus, debet ſtatim confirmari, non obſtante contradictione tertiæ partis, ſed non, ſi ſit electa a maiori quidem parte, non tamen explente duas partes ex tribus; tunc enim Prælatus ante confirmationem debet audire partem reclamantem, ſine ſtrepitu, & figura iudicii, & ea audita confirmare aut irritare; illa autem ſic electa antequam irritetur, poteſt vti iuriſdictione, modò res Monaſterii non alienet, nec vllam inter Moniales recipiat. art. 7.

Cum additur in electione Monialis clauſula, de conſenſu medietatis Conuentus, intelligitur, quod conſenſus iſte debeat exquiri ab omnibus Capitulariter congregatis: non enim aliter efficiunt corpus communitatis, a quo corpore debet fieri electio. art. 2.

ELECTI OBLIGATIO ad acceptandam Prælationem.

DEbite electus, illicitè fugit, aut ſe abſcondit ſine ſpeciali Spiritus ſancti inſtinctu, ſed meritorie bona intentione poteſt acceptare dicens: Ecce

ce ego, mitte me, vel humiliter sese excusare, nisi obedientia cogat, aut conscientia ob inopiam alterius idonei stimularet, iuxta sacros Canones. tom. 2. q. 55 art. 1.

Regularis Canonice electus in Prælaturam extra Ordinem, eget voluntate Superioris ad consentiendum (nisi confirmetur a Legato Cardinali) tamen verisimiliter potest cogi Superior ad consentiendum, præsertim si bonum cõmune id poscat. art. 2.

Non potest Superior concedere licentiam pro electione futura, si fieri contingeret, vt in quadam Clementina determinatur, & tenet Syluester articulo 2.

Si Legatus Regulari conferat beneficium quodcumque seculare, valet etiam sine consensu Superioris. Item si eligatur in Papam, quia eo ipso efficitur omnium Superior, & dominus. tom. 2. q. 124 art. 3.

ELIGI PROCVRANTIUM pœnæ.

Regularis in electionibus, vel ante eas per sex menses subornãs electorẽ mala subornatione, ipso facto excõmunicatur, olim a summo Pontifice, hodie etiam a Generali, & eius Commissario,

quando de illis non est subornatum, absoluendus, & priuatur voce actiua & passiua, tom. 2. q. 56. ar. 1. ex Pio V. & Gregorio XIII.

Hæc excommunicatio est latæ sententiæ, sed priuatio vocis non incurritur, nisi post sententiam Iudicis in foro conscientiæ ex Soto, ibid.

Subornatio est suasio, qua suadetur verum, vel falsum, ob bonum vel malũ finem; si in bonum, est bona; secus, si in malum. ibid.

Iisdem pœnis afficiuntur, & insuper priuantur omnibus officiis Ordinis recurrentes ad seculares mendicaturi fauores ad obtinenda officia, etiamsi iurent in contrarium & Fratres, & seculares, dummodo de malitia non constiterit, ex Pio V. & Greg. XIII. art. 2.

Non incurrit tamen has pœnas: qui has literas impetrauit, sed ad electorum manus non peruenerunt. Similiter nec ignorans has constitutiones saltem in foro conscientiæ. ibid.

Moniales impetrantes similes fauores non incurrunt illas pœnas. ibidem.

Gregorius XIII. & Clemens VIII. Generali, & aliis Prælatis Ordinis Prædicatorum in virtute sanctæ obedientię inhibuerunt, ne gratiam, dignitatem, aut officium cuicunque Fratri conferãt, aut

pęnas

pœnas ipsis debitas relaxent rogatu cuiuscunque sæcularis, etiam Imperatoris, & Cardinalis art. 2.

Si per personas extra Ordinem degentes fauores ad aliqua officia procurauerint, inhabilitant eos prædicti Pontifices ad illa, & maiora inofficia, nec possunt nisi a summo Pontifice rehabilitari. ibid.

Innocentius VIII. prohibuit secularibus, cuiuscunque status, dignitatis, & cōditionis existant, sub excommunicatione incurrenda ipso facto, & priuatione beneficiorum, si habeant, quocunque modo se intromittere in electionibus Prælatorum Ordinis Sancti Hieronymi; quod indultum tangit tantum extraneos, non Fratres, ar. 3.

ELEEMOSYNA.

Vide Fratres Minores, Paupertas, Mendicitas.

Monasteria tenentur precepto eleemosynæ quoad superflua, cū Religionis scopus sit charitas, vt docet Thomas 2.2. quæst. 32. art. 5. & tom. 2. quæst. 57. artic. 1.

Monachus de his, quæ sibi ab Abbate

te dantur, verbi gratia, pro munere Sacristæ, Organistæ, &c & pro sustentatione, potest moderatas facere eleemosynas sicut solent alij facere, nec contradicit Conc. Trid. sess. 25. de Reg. cap. 2. siue sit in itinere siue studeat extra Monasterium. art 2.

De bonis communitatis non potest dare sine peccato, absque expressa licentia, aut præsumpta (quæ est, quando talia communiter dantur, Superiore sciente, & tacente) & nisi in extrema necessitate, aut graui, Superiore absente, quia tunc præsumitur velle. ibidem.

Regulares, ac etiam Militares, non possunt impendere reditus in alios vsus, quam in illos, in quos intendit Regula quam sunt professi, alias peccant art. 5.

Iulius II. sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, inhibuit Conuentualibus, & aliis Mendicantibus, ne impediant Fratres Minores Obseruantes, quin libere possint petere eleemosynam temporibus, & locis consuetis, & mendicare aduentu, & præuentu aliorum minime requisitis, aut expectatis. art. 6.

Concilium Tridentiuum sess. 21. cap. 9. nullo modo voluit tollere vsum mendicationis Religiosorum, sed abusum

quo-

quorundam falsorum quæstuariorum, & baiulorum falsarum indulgentiarum, lucri tantum gratia, &c. art. 7.

Sixtus IV. subiecit Episcopos suspensioni a Regimine, interdicto ingressus Ecclesiæ, alios verò inferiores excommunicationi, dissuadentes populo, ne eleemosynas dent Fratribus Mendicantibus, voluitque, contra tales, vt Inquisitor procederet, tanquam suspectos de fide, ibidem.

Bonifacius IX. concessit etiam Prædicatoribus id ipsum quod concessum est a suis prædecessoribus circa eleemosynas petendas, & insuper prohibuit, vt nullus illas prohibeat in suis Ecclesiis celebrare, & oblationes in Missis, vel aliis ad Altare ipsorum peruenientes recipere, & conuertere in suos vsus, iuxta morem sui Ordinis, & quòd ipso facto sint excommunicati omnes contrafacientes, non absoluendi, nisi Sedi Apostolicæ personaliter se præsentent, art. 8.

EPISCOPVS.

Vide Absoluere, Apostasia, Exemptio, Dispensare, Prædicare, Obedientia, Processio.

DVbium est, an Regularis peccet desiderando Episcopatum? Negans opinio sanior est, cum status Episcopalis sit perfectior statu Religionis; debet tamen adesse rectus finis, vnde secundum omnes tenetur illum acceptare Superiore mandante; etiam Iesuita, licet voto simplici renunciauerit iuri dignitatis secularis acceptandæ, ex Paulo III. tom. 2. q. 58. art. 1. & 2.

Nullus Regularis potest consentire, etiam de Superioris licentia, electioni de se in discordia factæ, ad aliquam Prælaturam extra Ordinem suum; prout traditur in iure. Nec potest sine licentia Superioris Episcopatum acceptare, si offeratur, verum poterit consentire solus Prælatus, sine Capitulo, vel Conuentu, art. 1.

Monachus factus Episcopus solutus est a iugo Regulæ Monasticæ, quoad obedientiam, cum sit factus de filio pater, & quoad ea, quæ repugnant dignitati,

ti, & officio Episcopali, v. g. a ieiuniis, vigiliis, modo cantandi, silentio, & vt possit fieri compater; nullo autem modo quoad reliqua, videlicet quoad tria vota essentialia eo modo quo seruare potest, & quoad delationem habitus, licet propter dimissionem illius fortasse non excommunicetur, art. 3.

Episcopus factus extra Ordinem degens, non amplius gaudet priuilegiis Religiosorum, nisi de Prælatorum consensu. Ex Sixto IV. art. 4.

Quæ acquisiuit ante transitum ad Episcopatum, & tempore suæ promotionis, v. g. habitus, libros, &c. tenetur totum Superiori Ordinis ante cõsecrationem resignare, sub pęna suspensionis ab officio Pontificali, ex Clemente IV. nisi fortè Prælati vsum huiusmodi rerum ad tempus concesserint, ex Alexandro IV. sed quæ postea acquisiuit, sunt Ecclesiæ, cui præest, art. 6.

Regularis Episcopus factus, etiam Minor, recuperat ius succedendi ad hæreditatem paternam, sed non testandi, cum non possit sibi acquirere, ob votum paupertatis, sed tantum Ecclesiæ, nisi Apostolica authoritate; quæ semel data, valeret etiam Papa mortuo: nam facultas testandi ad pia, non est odiosa, nec ad primas vices extingueretur, cum tam

impetrans quam concedens testamentũ intelligant de eo testamento, cum quo est decessurus impetrans, art. 7. & tom. 3. q. 69. art. 4. 5. & 6.

Beneficiarius Regularis potest æquè disponere de bonis suorum beneficiorũ, atque seculares, qui si dicantur in iure domini, intellige non de dominio libero, sed restricto ad dandum superflua pauperibus, cuius etiam dominij sunt capaces Regulares, tom. 1. q. 58. art. 8.

Superior Regularis habet eãdem iurisdictionem in suos subditos quoad regimen, quam Episcopus in suos, vt simpliciter Episcopus: non autem vt Inquisitor fidei, aut delegatus Sedis Apostolicæ in certis casibus, vt de hæresi occulta, a qua nõ potest Superior Regularis absoluere secluso omni priuilegio, tom. 1. quæst. 20. art. 10. & 11.

Regularis Curatus in Ecclesijs subiectis iurisdictioni sui Abbatis, subest tantum Episcopo quoad curam animarũ, & sacramentorum administrationem, ex Trid. sess. 25. de Reform. cap. 11. Vbi tamen quosdam excipit, vnde non tenentur respondere citationi, vel seruare excommunicationem ab ipso latam: quod intellige de exemptis, & habentibus priuilegium, to. 1 q. 36. art. 4.

Ex verbis Concil. Trid. in decreto de

ob-

obseru.& euit.in Missa, videtur, Episcopos posse compellere Regulares, vt diebus Dominicis in suis Ecclesijs annuntient populo festa, & ieiunia hebdomadæ, tom. 1. q. 43. art. 7.

EREMITAE.

EREmitæ sunt, & olim fuerunt, in triplici differentia: alij enim sunt Serbitæ per mundum euntes; alij dicuntur Anachoritæ seu solitarii; tertii dicuntur Cœnobitæ in congregatione viuentes. Inter quos omnes illi qui profitentur vitam Religiosorum in Ordine viuendi approbato a Papa, aut ab Episcopo, habentes Superiorem nihil habere possunt proprium, & inter personas Ecclesiasticas numerantur, gaudentque priuilegio fori, ita vt ante Iudicem secularem nequeant conueniri. Alii, qui tantum nominari possunt Pœnitentes, non fruuntur priuilegio fori, licet omnes sint iure approbati, sed subsunt iurisdictioni locali seculari, tom. 3. q. 49. art. 4. & tom. 2. q. 63. art. 20.

EVCHARISTIA.

Vide Communio.

EXCOMMVNICARE.

SVperiores Ordinum exemptorum sunt proprii pastores Fratrum iure habentes in eos omnem iurisdictionem, quam exercere possunt vbique, id est, etiam extra Monasterium, cum non habeant territorium, intra quod limitetur eorum potestas; hinc vbique possunt sedere pro tribunali, quamuis honestius faciet, si in suis locis suam authoritatem exerceant, tom. 2. q. 59. art. 1.

Possunt Prælati Ordinis Minorũ ferre sententiam excommunicationis, quãdo opus est, sine scriptis contra tenorem iuris, priuilegio Leonis X.

Circa quod Constitutiones Toletanæ Fratrum Minorum statuunt, ne ferant sententiam excommunicationis sine scriptis, quando eam ferunt per modum statuti de cauendo aliquo peccato, aut actione suspecta (talis dicitur sententia quæ fertur pro omnibus, & ad semper, & censetur esse a iure) sed quando ferũt tantum per modum præcepti (quæ dicitur

citur ab homine) possunt sine scriptis, art. 3.

Per constitutiones supradictas declaratur non posse Guardianum excommunicare in tribus casibus, scilicet ad finem reuelationis in iudicio, pro deperditis, aut subtractis rebus, cum non habeat iurisdictionem quasi Episcopalem in his requisitam, art. 4.

Nullus Legatus (nisi de Latere Sedis Apostolicæ missus, vel delegatus, aut subdelegatus, authoritate literarum Sedis præmissæ) potest excommunicare, suspendere, vel interdicere Regulares, nisi literæ ipsæ plenam, & expressam faciant mentionem de indulto exemptionis; multò minus id possunt Ordinarii. Quod item priuilegium habent Religiosi militares vt tales, & vt personæ singulares ipsarum militiarum professæ, non autem in quantum ciuitatum sunt Rectores, si perturbent Episcopalem iurisdictionem, art. 5.

Si priuilegium non sit Iudici notum, neque priuilegiatus in longo libertatis tenore fuerit, tunc sententia excommunicationis contra eum lata tenet, nisi in priuilegio esset clausula irritans, Similiter, si allegat priuilegium non publicatum, neque Iudici notum, neque in longo libertatis tenore fuerit, & si Iudici

petenti sibi ostendi illud priuilegium, non vult ostendere, nec clausulam continentem suam libertatem, tenebit excommunicatio, si contra eum feratur, art. 6.

Noluit Nicolaus V. Fratres ligari aliqua censura excommunicationis, suspensionis, aut interdicti, iuris, vel hominis, nisi nominatim de ipsis Religiosis specialis fiat expressio, art. 7.

Duplex est excommunicatio, generalis, & specialis. Generalis rursus duplex, lata scilicet a iure, & lata ab homine. Lata a iure est, quia generaliter canon, constitutio, aut statutum excommunicat eum qui illud, aut illud fecerit, aut non fecerit. Lata ab homine est, quam Iudex generaliter fert in illum, qui illud aut illud fecerit, aut non fecerit. Inter quas hoc est discriminis, quod lata ab homine moritur mortuo homine, vel ablato eo ab officio, quoad eos qui ante non incurrerunt; at lata a iure minime, to. 2 q. 60 art. 1.

Multæ sunt censuræ, & excommunicationes, quæ in sacris Canonibus Regularibus imponuntur. Verum multæ earum iam non ligant, quia per contrariam consuetudinem, aut non vsum, aliisve modis sunt sublatæ, art. 2.

EPI-

EPICHEIA.

EPicheia est æquitas, seu iustitia dulcore misericordiæ temperata, cuius officium, seu proprius actus est, in casibus specialibus discedere a verbis legis, seruata tamen eius intentione, pensatis omnibus circumstantiis, to. 2. quæst. 46. art. 2.

Hæc virtus maximè necessaria est ad regimen Regularium, & tranquillitatem Religiosorum, qui aliquando literales tantum existentes maximis scrupulis succumbunt; ad cuius intelligentiam hæ Regulæ constituuntur.

1 Inter duram, & benignam interpretationem diuini præcepti, & humani, in dubiis, ceteris paribus, benignior est semper sequenda.

2 Neque Deus, neque Ecclesia, suis præceptis nos obligare ad vix possibile, aut nimis difficile (quod moraliter, & ciuiliter dicitur impossibile) intendit: aliàs iugum Christi non esset suaue.

3 Nec Deus, nec Ecclesia intendit suis præceptis obligare, sic quòd quis ea implendo, sit vel appareat fatuus, aut quòd bona tollatur vrbanitas, aut conuictus honestus cum alijs homi-

nibus,neque consulit,vt sic se habeat homo,vt aliis risui sit,saltem apud viros bonos,& discretos. Nec cum graui scandalo aut damno præsertim spirituali,iudicio prudentum,quod in hac, & priori regula debet attendi.

4 In dubiis vita sensusque communis virorum bonorum sumi debet in exemplum,& regulam viuendi.

5 In his,quæ sunt mala,quia prohibita, iure tantùm humano excusat consuetudo præscripta, aut legitima, quia tollit legem,& est eius interpres.

6 In quolibet casu prætermittens facere quod lex imponit,excusari potest a peccato saltem mortali, quamuis non semper a veniali, si hoc facit bono animo virtute epicheiæ,sine contemptu,ratione alicuius periculi, necessitatis, seu circumstantiæ consideratæ; putans se non peccare mortaliter, paratus nullo modo facere, si putaret esse mortale. Vide Dispensatio quo ad vota. art. 2.

EXEM-

EXEMPLAR.

DEductum ex originali licèt iure nõ valeat, nisi citata parte, cuius interest, saltem edicto generali; hoc tamen non habet locum apud Minores. Voluit enim Leo X. quòd transumptis quarumlibet literarum Apostolicarum Fratribus Minoribus Obseruantiæ concessarum manu Notarij publici subscriptis, sigillo alicuius Curiæ Ecclesiasticæ, vel personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio, vel extra, quæ ipsis originalibus haberetur. tom. 1. quæst. 8. art. 17.

Iudex potest procedere contra omnes se opponentes Fratribus Minoribus de Obseruantia, secundùm rigorem alicuius clausulæ sibi exhibitæ, & a Notario fideliter extractæ ex mari magno, & alijs quibuscumque in posterum concedendis, ex Leone Decimo, ibidem.

EXEMPTIO

Quoad seculares.

Vide Conueniri, Benefactores, Familiares, Tributum.

PErsonæ Ecclesiasticæ, & Religiosæ sunt iure diuino exemptæ a seculari iurisdictione, sed bona eorum sunt exempta tantum iure humano, dictante tamē naturali ratione, to. 2. q. 62. ar. 2. & q. 65. art. 2.

Iudex secularis potest sequestrare triticum etiam Religiosorum tempore maximæ necessitatis communis, pretio taxato sibi dato, modo tamen eis relinquat ad sufficientiam, tam pro se quam pro suis, authoritate iuris naturalis, & ciuilis, q. 62. ar. 3.

Monasterium litigans cum seculari in caussis temporalibus, debet ipsum laicū conuenire coram Iudice seculari, & ipse laicus potest coram eodem Monasteriū reconuenire, nisi ipse laicus sit erga Fratres sacrilegij reus, quia tunc est conueniendus coram Episcopo. ar. 11.

Potest Regularis conueniri coram Iudice seculari pro litigio feudi (non in causa

sa criminali) cum Monachus feudatarius etiam vasallus dicatur. ar. 10.

EXEMPTIO

Quoad Episcopos.

IVre communi omnes tam Regulares quàm alij Clerici, Episcopis subsunt; vnde a priuilegio est exemptio, quo licet damnum aliquod videantur incurrere Episcopi, tamen abunde compensantur fructu multiplici inde ad suas oues nascente, to. 2. q. 63. ar. 1. & 2.

Hanc exemptionem sine dubio possunt facere summi *Pontifices*, & de facto fecerunt, piis & grauibus de caussis. ibid. & art. 3.

Exempti a iurisdictione Ordinariorum, & Legatorum intellige communium: nam iuxta Clem. IV. a Legatis a latere non sunt exempti, sicque veniunt interpretanda priuilegia concedentia Regularibus exemptionem a Legatis Sedis Apostolicæ. ar. 4.

Moniales subiectæ Regularibus prælatis authoritate Apostolica, gaudent eadem exemptione, qua Fratres. ar. 5.

Exemptus non notoriè, citatus tenetur comparere, & priuilegium Episcopo

rogant oftendere: cuius tamen priuilegij interpretationem dare non eft Epifcopi, fed folius Pontificis, ex Paulo I I I. articulo 7.

Regulares notoriè exempti, vt funt Mendicantes, citati ab Ordinario, vt cõpareant in iudicio, non tenentur coram ipfo comparere, nec oftendere priuilegium, nifi in citatione exprimatur caufa quæ fundat iurifdictionem Ordinarij, vt tradit Couarruuias art. 7.

Si exemptio fuit obtenta a Papa, & fit plena exemptio, non tenebuntur Regulares ad ius reuerentiale Epifcopo, demptis tamen aliquibus cafibus, art. 9.

Cum per exemptionem Papa Regulares immediate fibi fubiiciat, non licet Regularibus fine eius licentia huic priuilegio renunciare. Vnde fi ex negligentia patiantur fe Ordinarijs fubijci, poffunt fe tueri ex iure quod competit Papæ; contra quem non præfcribitur nifi 40. annis art. 10.

Multi funt cafus, in quibus Regulares fubfunt etiam Epifcopis, fecundum pleraque iura, præfertim fecundum Concil. Trid. articulo vndecimo.

EXEM-

EXEMPTIO

Quoad Superiores Ordinis.

NVllus inferior Papa poteſt aſſumere ad aliquod munus Regularem, etiam defectu alterius, abſque expreſſo ſui Superioris conſenſu priuilegio Greg. XIII. facto Ieſuitis, & Leonis X. Minoribus, qui tamen eximit Legatum a latere. tom, 2. q. 64. art. 1.

Ordinariorum eſt, & aliorum in dignitate conſtitutorum, quando a Prælatis, aut alijs Fratribus Ordinis Minorum requiruntur, aut etiam à Romanæ Curiæ Commiſſarijs, examinare quaſcunque literas Apoſtolicas exēptiones alicui Regulari conceſſas, ex commiſſione Iulij II. per Conc. Trid. confirmata. art. 2.

Prælatus ex magna cauſa, verbi gratia, pro auctoritate Monaſterij, aut Religionis, poteſt Fratrem Epiſcopo deputare ſocium; imò, & Principi ſeculari, aut Magnati. art. 1.

Licet obedientia debita Principibus poſſit præſcribi; imò, & quæ debetur Eccleſiaſticis; Monachus tamen obedientiā ſuo Prælato promiſſam, nullo temporis ſpatio præſcribere valet. art. 3.

Cle-

Clemens IV. prohibuit, ne aliquis Frater Minor exemptus ab obedientia Ordinis possit contra statuta Religionis morari in domibus Fratrum dicti Ordinis, aut in eorũ officijs se immiscere, vel intromittere. Idem constituit Sixtus IV. pro Carmelicis sub excommunicationis pœna ipso facto incurrendæ ab admissis, & admittentibus ad Capitula, Congregationes, & Ordinis negotia, seu officia, nisi Generalis pro tempore cõsensus interuenerit. ibid.

Nullus Regularis quocumque munere fungens, licet Regis aut Sedis Apostolicæ sit Capellanus, eximitur a sui Superioris obedientia, sed eius correctionibus in omnibus, & per omnia est subiectus. art. 4.

EXEMPTIO

Quoad tributa, & exactiones.

CVm personæ, & bona Deo consecrata sint iure diuino exempta a seculari iurisdictione nullus secularis potest super eis imponere tributa, gabellas, angarias, &c. quod plurimi Pontifices confirmarunt etiam appositis censuris. Ergo Religiosi etiam possidentes, omni-

no

no exempti sunt ab oneribus eiusmodi (nisi de facto seculares grauarentur) pro quo Paulus IV. amplissimum priuilegium dedit Iesuitis, vt habetur in Compendio eorum, tomo secundo, quæstione 65. art. 1.

18. Regularis Mendicans, obtinens aliquod beneficium seculare contra sui Ordinis statuta ex dispensatione Papę (quod iusta de causa fieri præsumendum est) non tenetur ad onera Ecclesiastica, aliis verbi gratia, Canonicis, aut similiter Beneficiatis communia: licet multi oppositum teneant, volentes quoad hoc, illum priuari priuilegiis sui Ordinis, articulo 3.

Fratres Sancti Ioannis de Malta etiam eximuntur per concessiones amplas, pręsertim Sixti V. art. 4.

Fratres Tertiarij, & Sorores in propriis domibus habitantes, licet omnino videantur personæ Ecclesiasticæ, & per consequens immunes, tamen ex declaratione Leo X. tenentur ad onera, & conueniendi sunt coram Iudice seculari; sed non collegialiter viuentes, & vota solēnia emittentes seu cum clausitralibus habitantes, aut mulieres virginalem, seu cælibem, aut castam vidualem vitam ducentes, ex eodem Leone X. articulo quinto.

Se-

Secularis, licet Rex, imponens Regularibus talia tributa ipso facto excommunicatur, nisi priuilegii habita notitia, & monitus protinus destiterit a molestia inferenda; quòd si contumax post admonitionem perseueret, a solo Papa potest absolui, per multa priuilegia, artic. 6.

Ex priuilegio concesso Congregationi montis Oliueti debent prælati Ecclesiastici Regulares in prædictis defendere censuris Ecclesiasticis, appellatione postposita, non obstantibus literis etiam Apostolicis non facientibus expressam mentionem de hoc indulto, ac de verbo ad verbum, ibid.

Episcopi imponentes Regularibus exactiones pro pontium reparatione, & aliis, casu, quo eas secundum sacros Canones imponunt licite Ecclesiasticis, non frangunt immunitatem Ecclesiasticam: non enim fit contra eam, quando fit contra Regularium priuilegia, sed cùm aliquid contra libertatem vniuersalis Ecclesię molitur, vt tradit Syluester. ibidem.

EXEM-

EXEMPTIO

Quoad charitatiuum subsidium.

MOnasteria exempta ad charitatiuum subsidium minime sunt obligata, to.2.q.66.ar.1.

Monasteria exempta, si habeant Ecclesias, aut Capellas populum habentes sibi annexas, aut (si populum non habent) quæ sunt Ecclesiæ, & Capellæ seculares, tenentur ratione illarum charitatiuum subsidium soluere, cum iure communi Capellę, & Parochię subsint iurisdictioni diœcesanæ. Quod tamen intelligendum est, quando ex priuilegio proprio, aut consuetudine præscripta aliud non habetur. ar.2.

Mendicantes, & Fratres Sancti Ioannis Hierosolymitani sunt exempti a contributione facienda pro Seminario puerorum, eorundemq. sustentatione, iique soli. Ex Concil. Trid. sess.23. de Refor. c. 18.art.3.

Quando ex fundatione res, vel priuilegia data sunt Ecclesiis Regularibus intuitu pietatis, & necessitatis, debet apud eas manere, etiamsi seculares fiant; quãdo verò priuilegium, vel collecta, vel sub-

subuentiones imposita fuerunt propter strictiorem vitam, seu reformationem; tunc reformatione cessante non debentur dictæ subuentiones. art. 4.

Non debentur subuentiones Ecclesiis Regularibus datæ propter Religionem, si ipsæ in statum secularem redigantur. Similiter exemptio ab exactionibus ipsis concessa ex priuilegio deperditur, si talis exemptio intuitu Religionis fuit concessa. ibid.

EXHAEREDARI.

PRobabilior est opinio secundum iuris Pontificii interpretes, hæreditatem Monacho relictam, immediate Monasterio acquiri, neque fore necessariam Monachi aditionem. tom. 2. q. 77. art. 1.

Communior sententia est, quod Monasterium possit adire inscio, & inuito Monacho, quia licet scripti hæredis nomen proprium non obtineat, legis tamen interpretatione habet quod idem operatur. ibidem.

Non potest exhæredari Monachus a patre causa ingratitudinis commissę ante Professionem. Potest tamen pater exhæredare filium matrimonium contrahentem absque eius consensu, etiamsi an-

ante consummationem Religioné profiteatur. Quod quidem locũ habet, quando ingratitudo, ob quam exhæredari debuit filius, concernebat personam patris, velut si patrem ceciderit, non autem si directe respiciat solum filium. art. 2.

Statutum continens quod filia ingrediens Religionem non succedat patri, cum sit impeditiuũ futuræ ingressionis, & sit contra libertatem Ecclesiæ, videtur inualidum iuxta sacros Canones. art. 3.

Vtrum substitutio facta sub hac conditione, si sine liberis decesserit, censeatur euanuisse per ingressum Religionis, quæstio est? Si expresse apparet de mente testatoris voluisse Monasterium excludere, non admittitur Monasterium, sed substitutus; si verò non constat de mente testatoris, voluisse scilicet illum Monasterium excludere, legis interpretatio tunc locum habet, & huiusmodi conditio inualida est, & pro non scripta habenda. Quod tamen locum habet, vbi extraneus fuerit substitutus, secus si filius, nam filius cum substituitur, expellere censentur Monasterium. art. 4.

Per ingressum Religionis in ea infirmitate qua quis decedit, verius est, substituto nõ fieri præiudiciũ; etsi aliter de fraude non cõstet: quia suspecta est adeo sera

de-

deuotio, quæ alteri damnum infert. artic. 5.

Licet Monachus liber sit a patria potestate, cum transierit in potestatem Abbatis; nihilominus succedit ab intestato patri, vt suus hæres. art. 6.

Duobus Monasteriis institutis, vno Monachorum, altero Monialium: Monasterium Monialium est preferendũ, quia institutio pauperioris loci præualebit, ex sententia Angeli. Quod tamen regulariter intelligendum: nam si Monialium esset ditissimum, Monachorum pauperrimum, hoc videtur præferendum. artic. 7.

Nouitio morienti intra annum probationis non succedit ab intestato Monasterium. art. 8.

EXPOSITVS.

Expositi cum legitimi censeantur, secũdum opinionem doctissimorum virorum, non videntur indigere legitimatione, & dispẽsatione, vt ad sacros Ordines promoueantur: nec ẽt facti Regulares, vt ad prælationes admittantur. Cũ tamen sit opinionum varietas circa hoc, consultius erit ad prælationes non admittere, nisi cum eis secundum terminos priuilegiorum Regularium dispensetur.

tom.

tom.1.quæst.13. articulo primo.

EXILIVM.

POssunt Iudices Ecclesiastici Clericis imponere pœnam exilij; quod ipsum concessum est etiam Iudicibus Regularium respectu Religiosorum delinquentium, cum eandem habeant, quantũ ad puniendum, & corrigendum potestatẽ, quam habent Episcopi circa suos Diœcesanos. tom. 2. q. 23. art. 1.

Sicut Episcopus, vel eius Vicarius mittens aliquem Clericum in exilium, iusta interueniente causa, potest ab eo reuocare; ita, & Iudex Regularis poterit iusta causa Religiosum in exilium missum ab eo reuocare, nisi constitutiones Regulares aliud disponant ibidem.

Monasterium, vbi Monachus exulans commisit delictum, debet præstare illi alimentum, si in aliud relegetur, & ibi detrudatur, aut si quid habet de suo, prouideat ei de ipso, nisi fecerit professionẽ in Ordine capaci bonorum in communi, quia tunc Monasterium, ad quod peruenit hæreditas Monachi delinquentis, debet ipsum alere. In Ordine autem Fratrũ Minorum propter summam paupertatem, ministrat necessaria Monasterium, ad quod mittitur. art. 2.

FA-

FAMILIARES.

Vide Interdictum.

LArgè familiares dicuntur, qui cohabitant cum aliquo. Familiares autem Fratrum sunt ij, qui ex authoritate Prælatorum, aut Officialium Conuentuum toti communitati seruiunt, aut alicui Patri particulari; non sufficit autem quod Fratribus particularibus seruiant, ex eorum libito solum assumpti, to. 2. q. 67. art. 1.

Possunt Regulares ex iure communi, familiaribus suis, & iis qui in eorum mo rantur obsequiis, si infirmentur intra septa Monasteriorum, cuncta Ecclesiastica Sacramenta libere ministrare; iis autem (licet famuli non sint, neque familiares) quos intra septa Monasteriorum infirmari contigerit; Extremam Vnctionem licitè Monachi dare possunt assensu Parochi, vel Episcopi nullatenus requisito ibid. ex Priuileg.

Famulorum, & familiarium cõfessiones audire nõ possunt, nisi Religiosi Confessores ab Ordinario approbati iuxta formam Conc. Trid. ibid.

Quamuis sint famuli illi, qui actua-

liter seruiunt Monasterijs, non tamen actualiter seruientes assumpti in fraudem legis, vt supradictis priuilegiis gaudeant, iis frui debent, ibid.

Famuli Fratrum secundum ius commune in sua parochia debent sepeliri, aut in sepulcro maiorum, nisi alibi sepulturam elegerint, possunt tamen, licet sepulturam non eligant, in Monasteriis ipsorum Fratrum sepeliri, etiam Parocho recusante, & tempore interdicti, ac cessationis a diuinis, ea solemnitate, qua sepeliuntur fratres, art. 2.

Seruitores, & famuli, qui Monasteriis actu seruiunt, & intra eorum septa, ac domos actu resident, subque Prælatorum obedientia viuunt, nequeunt ab Episcopis excommunicari sine speciali mandato Papæ, ex concess. Alexandri IV. limitata per Concilium Tridentinum, art. 3.

FESTVM.

Vide Interdictum.

POssitne Festum Corporis Christi a quibuscumq; celebrari in Dominica infra Octauam huius solemnitatis, & quonã modo celebrari debeant festa no-

minis Iesu, Sanctorum Bonauenturæ, ac Didaci Ordinis Minorum, Sancti Antonij de Padua eiusdem Ordinis, Sancti Francisci de Paula Fundatoris Minimorum, Sancti Placidi, & Sociorum, Sancti Nicolai Tolentini, Sancti Petri Martyris, ac Sancti Iacynthi, quæ in nouo Kalendario addita sunt, debeantne scilicet ab omnibus fidelibus celebrari, explicat, Pontificumq; Bullas allegat author. tom. 2. quæst. 68 art. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. & 10.

Sixtus IV. præcepit in Festo Sancti Francisci ab omni opere seruili abstineri: at in multis locis non obseruatur, propter vindemiæ tempus. tom. 2. quæst. 69. art. 1.

Nicolaus IV. authoritate Apostolica constituit, vt Festiuitas stigmatum Sancti Francisci a Fratribus, & Monialibus Ordinis Minorum celebraretur Festo duplici. art. 2.

Sixtus IV. præhabitis consilio, & assensu, & matura deliberatione cum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ordinauit, quòd nullius Sancti, aut Sanctæ, Beati, aut Beatæ figura aliqua cum stigmatibus depingi possit quouis modo, quo æstimari possit, vel credi illum, vel illam huiusmodi stigmata habuisse, excepta imagine Beati Fracisci. Idem prohi-

hibuit, ne quis in concionibus, vel aliàs ſcriptura, aut verbo aſſerere audeat, aliquem Sanctum vel Sanctam, Beatum vel Beatam huiuſmodi ſtigmata habuiſſe, impoſuitque grauiſſimas cenſuras facientibus contra præmiſſa, quæ licèt ad tempus fuerint ſuſpenſæ, nullatenus tamen ſunt reuocatæ, ſed in ſuo robore permanent. ibidem.

Poſſunt Fratres Minores ſolemniter, & publicè celebrare Feſtum quinque Martyrum, ex conceſſione Sixti IV. & Feſtum ſeptem Martyrum, ex conceſſione Leonis X. qui etiam cōceſſit, quòd Fratres Minores Obſeruantiæ poſſint celebrare Feſta Sanctorum, in quorum honore Eccleſiæ locorum ſuorum ſunt dedicatæ, ſub ritu duplicis maioris, etſi ſecundùm ordinarium eſſent de ſe ſimplicia art. 3.

Leo X. conceſſit Monialibus Sanctæ Claræ ſub regimine Fratrum Obſeruantiæ exiſtentibus, quod Feſta Beatæ Agnetis, & vndecim millium virginum ſub ritu duplicis maioris licitè valeant celebrare, art. 4.

Quamuis ex permiſſione, imò præcepto Eccleſiæ, poſſint Religiones propria Sanctorum Feſta celebrare, in Officio nihilominus tam proprio, quàm communi ſeruanda eſt forma a Breuiario

Romano præcepta. artic. 5.

Exempti omnes, etiam Regulares, tenentur seruare dies Festos, quos in Diœcesi sua Episcopus seruandos præceperit, ex Conc. Trid. non tamen Festa per populum votata, licèt Episcopus confirmarit, quia eiusmodi votum est personale. Teneri tamen etiam possunt ad hæc obseruanda ratione scandali. tom. 2. q. 70. art. 1.

Quandoquidem nō omnia, quæ possunt fieri gratia necessitatis, possint fieri gratia, & ratione pietatis, nō possunt Regulares in diebus festiuis in opere suorum Monasteriorum operibus seruilibus seculares occupare, vel ipsimet occupari, nisi aliqua necessitate præsente, vel imminente excusentur; sed vt licitè *id* faciant, petere licentiam ab Episcopis tenentur, art. 2.

FEVDVM.

Vide Bona, Exemptio, Vassallus.

Religiosi possunt recipere bona Feudalia, & Emphyteutica, modò ad ea onera teneantur, ad quæ donator seu testator tenebatur occasione huiusmodi bo-

bonorum;& si ad certum numerum generationum, vel nominationum concessa eis fuerint, per viginti annos pro qualibet generatione retinere poterunt. to. 1. quæst. 38. art. 3. & 3.

Non possunt Monachi Feudum recipere, quando seruitium præstandum repugnat Ordini Monachali, nec potest per substitutum præstari, ac proinde est cum illorum statu incompossibile. articulo 3.

FRATRES MINORES.

Vide, Hæreditas, Ieiunium, Legatum, Mendicitas, Nouitius, Ornamenta, Paupertas, Testamentum.

FRatrum Minorum mendicitas dicitur incerta, quia non habet certitudinem ciuilem, neque ius, neque actionem in re, quæ ipsis eleemosyaliter datur, quamuis habeat certitudinem probabilem, & moralem. Vnde quantumcumque dictis Fratribus iure naturali, vel diuino, vel alio, aliquid debeatur pro Missis, Sermonibus, aut aliis exercitiis spiritualibus, vel alia quacumque causa,

non possunt id petere, vel recipere nisi eleemosynaliter, sine vllo titulo iuris ciuilis: bene autem possunt recipere domus ab aliquibus dominis temporalibus prębentibus omnia necessaria ad victum, & vestitum, absque eo quod ostiatim pe tantur, quia hæc certitudo est tantũ moralis tom. 3. q. 3. art. 3.

GENERALIS.

Vide Electio, Degradatio, Eiectio ab Ordine, Aedificia, Visitatio.

GEneralis non potest facere statutum sine Capitulo; sed tantum præceptum eius morte finiendum. Idem est iudicium de Prouinciali, Prouincia, & Ordine: quia sicut Prouincialis non potest statutum condere sine Capituli maiori parte, sic nec prouincia potest statutum facere sine suo Prouinciali; vel Ordo sine suo Generali. tom. 1. quæst. 10. art. 1.

Generales Ministri habent iurisdictionem ad modum Patriarcharum, seu Primatum (differunt autem Patriarcha, & Primas solo nomine) Prouinciales ad modum Archiepiscoporum, Custodes ad modum Episcoporum, Guar-

diani

diani autem sunt sicut Archipresbyteri, & Confessores sicut Parochi, seu Presbyteri. tom.1.q.12.art.5.

GRADVATIO.

Vide Confeßarij quoad præsentationem.

POssunt Clerici post Clericatum, & etiam Monachi ad Doctoratus gradum in iure ciuili promoueri, si ante Clericatum, & Monachatum ei operam dederint tom.2.q.74.art.1.

Bonifacius IX. concessit Magistro Generali Ordinis Prædicatorum pro tempore existenti, quod in quolibet Capitulo generali dicti Ordinis vni ex Fratribus in Theologiæ facultate prouecto, modo per Generalem, & diffinitores Capituli, vel aliquos Magistros ad hoc assumendos, diligenti examine sufficiens, & idoneus inuentus fuerit, Magisterii honorem, & docendi licentiam, seruatis conditionibus Concilij Viennensis, & aliis solemnitatibus in talibus consuetis largiri possit. Fruetur que taliter Graduatus omnibus gratiis, priuilegiis, libertatibus Fratrum eiusdem Ordinis, qui in

eadem Theologia Parisienb sunt Magistri, ac si ibi gradum, & huiusmodi Magisterium recepisset.ibidem.

Martinus V. præcepit vniuersis Cancellarijs, Magistris, & Doctoribus studiorum, ne Fratribus Minoribus, seu alicui eorum gradum, & honorem magisterii conferre præsumant, nisi cursum per cōstitutiones Apostolicas, & Ordinis instituta perfecerint, & aliàs ad dictum gradum obtinēdum idonei existant. Si quis autem præter rigorem huiusmodi gradum susceperit, voluit vt honore magisterii careat, ac lecturis, & actibus, gratiisque magistralibus ipso facto priuatus existat, & ad eadem de cetero inhabilis. art. 2.

Licèt cum Prælati licentia graduari possint Monachi, Innocentius tamen VIII. statuit, quòd nullus Frater Ordinis Prædicatorum Reformatorum, seu de Obseruantia, Prouinciæ, aut Congregationis Hispaniæ magisterii seu alium quemcumque gradum in sacra Theologia (nisi ad illud per Capitulum dictæ Congregationis expositus fuerit) quoquo modo assumere præsumat; & quòd si qui aliter promoti fuerint, pro nō promotis habeantur, & ad huiusmodi gradus inhabiles sint. art. 3.

Supradicta Innocentij VIII. constitu-

tutio locum habet, licèt perfecerint cursus suos, ac sententias legerint in Vniuersitatibus approbatis, & actus legitimos, ceteraque exercitia scholastica fecerint, prout facere, & legere, de consuetudine, vel de iure in huiusmodi tenentur. ibid.

Potest Præpositus Generalis Societatis, vel de eius licentia quiuis ex Præpositis, vel Rectoribus Collegiorum cum duobus, vel tribus Doctoribus, vel Magistris per eosdem eligendis, graduare suos scholares, absoluto tamen suorum studiorum cursu, rigorosove præcedente examine. Quicumque autem modo prædicto promoti fuerint, gaudere poterunt omnibus priuilegiis, & prærogatiuis, quibus gaudent, qui in Vniuersitatibus iuxta solitos inibi vsus promouentur. art. 4 & 5.

Nomine scholarium hic intelliguntur scholares, qui sunt de Societate. ar. 4.

GVARDIANI.

Vide Custos, Diffinitores, Electio, Excommunicatio, Reseruatio casuum, Vicarius.

GVardiani, & ceteri Conuentuales Prælati, vt Rectores, Priores, &c.

 sunt

ſunt vere Prælati habentes dignitatem eccleſiaſticam. Vicarii autem tunc tantum ſunt prælati, cum præſident Conuentibus, qui propter paucitatem Fratrum, nomine Guardianatus minime appellantur, ſed nomen Vicarij illis tribuitur, alias non ſunt prælati, tom. 1. q. 12. art. 6.

Guardiani, & ſimiles Conuentuales prælati, cum ſint inferiores prælati Archipresbyteris ſimiles, ipſorũ munus pręciſum eſt, ſicut & iuriſdictio, vnde tãtum præſunt ad minora determinanda, maiora vero referre debent ad prælatos Prouinciales habentes iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem. tom. 1. quæſtio. 17. art. 3.

Minora negotia, quæ Guardiani de iure poſſunt exercere, ſunt omnia quę pertinent ad obſeruantiam diſciplinæ Regularis, & quæ pertinent ad ordinariam gubernationem Conuentus, ad quæ ſuos ſubditos poſſunt cenſuris cogere; maiora verò ſunt, quæ præcisè ad iuriſdictionem Epiſcopalem pertinent: vt licentiare ſubditos ad Ordines ſacros, Prædicatores, & Confeſſores inſtituere, diſpenſare, & abſoluere a reſeruatis, grauiora ſupplicia infligere, & ſimilia, ibid.

Abbates, qui a Regibus pręſentantur, a ſummo Pontifice præficiuntur (quales

les ſunt multi Sancti Benedicti) ſunt reuera prælati maiores, cum immediate habeant iuriſdictionē Epiſcopalem. ibid.

Guardiani, & alii Præfecti locales, vir tute priuilegiorum habent plenariam authoritatem circa ſuos ſubditos, ſicut Prouinciales in totam prouinciam. Sed cum talium priuilegiorum vſus conſuetudine præſcripta, ex conſtitutionibus variis Ordinis eis ſæpius ſit interdictus, tenentur ab illorum priuilegiorum vſu ſibi prohibitio abſtinere, ideoque conſulant ſui Ordinis conſtitutiones, & conſuetudines, contra quas nequeunt manum mittere ſub pœna peccati mortalis, aut venialis, ſecundum grauitatem materiæ. ar. 4. & 5.

Iuriſdictio Guardianorum, & multo magis Cuſtodum, Prouincialium, ac Generalium, eſt ordinaria, nō delegata; delegatus verò dicitur, qui vices alterius gerit ex commiſſione, & non ex lege; ordinarius autem eſt, qui beneficio legis ſuam habet authoritatem. art. 6.

Sicut poteſtas prælatorum Regularium poteſt reſtringi & coarctari a ſummo Pontifice, vtpote ab eo dependens; ſic iuſta exiſtente cauſa, poterit inferiorum prælatorum authoritas, & iuriſdictio a prælatis ſuperioribus reſtringi, & coarctari. Quia licet vtriſque data ſit

memorata poteſtas iure diuino, conceſſa tamen eſt ordine hierarchico, vt minores pendeant a maioribus, art. 7.

Nequeunt maiores Prælati ſine iuſta cauſa Prælatorum inferiorum ordinariorum poteſtatem reſtringere; ſi ſecus fecerint, peccabunt, illis iniuriam irrogando, factum tamen tenebit, ibid.

Poteſtas Superiorum in Moniales eſt ordinaria, quia eſt a conmiſſione, & priuilegio perpetuis: eſtque tanta, quanta erat proprij per Regulam earum Superioris Protectoris ſcilicet Ordinis: exceptis quibuſdam reſtrictis quoad electionem Abbatiſſæ, & ingreſſum in Monaſterium. Nec hæc poteſtas in Moniales ſanctæ Claræ eſt per Conc. Tri. reuocata. art. 8. 9. 10.

HABITVS.

Vide Nouitius, Sepultura, Tertiarij.

INter leges, quæ omnibus ferè Regularibus communes ſunt, hæc vna eſt, ne lineis induſiis veſtiantur, & habitu decenti vtantur. tom. 2. quæſt. 76. art. 1.

Ioannes XXII. ordinauit, quòd forma habitus quoad colorem panni, & vili-

vilitatem in Religione Minorum, Prælatorum arbitrio relinqueretur. ibidem.

Sixtus V. statuit Clericos, vel milites benefi.ia, vel pensiones obtinentes teneri deferre habitum, & tonsuram, & contrauenientibus graues pęnas iniungit art. 2.

Monachus assumptus ad curam Ecclesiæ secularis nõ absoluitur ab habitu Monachali deferendo, cum id non sit contrarium Ecclesiæ seculari, art. 3.

Ad scandalum vitandum licet Monacho assumpto ad curam in aliquo se conformare habitui Clericorum secularium, & iusta ex causa; ac rationabili, non solum potest habitum transformare, sed & occultare, vtendo tamen habitu secularium Clericorum, vt non appareat Monachus de hoc erubescens, vel vt non agnoscatur propter vanitatem secundum Archidiaconum non euadit mortale peccatum, & excommunicationis censuram, ibid.

Fratrem gestantem habitum alterius Religionis, aut ita consimilem, vt credi possit de illa Religione, Episcopus requisitus a fratribus tenetur censuris cogere ad deponendum, sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ, art. 4.

Fratrem Minorem gestare habitum cũ Caputio sutum, ab omnibus Religionem

nem zelātibus semper fuit obseruatum, omninoque laudabile est, ac religiosum; verum cum nusquam reperiatur præceptum, contra facere absque contemptu non videtur esse peccatum. art. 5.

Religiosus dimittens habitum ad alium assumendum, etiam Religiosum alterius Religionis (nisi intentione in ea profitendi hoc faciat) ad scelus aliquod mortiferum, aut in tantum tempus, aut ob talem causam, & rationem, quod iudicio boni viri dicatur habitum dimisisse, incurrit excommunicationem Bonifacij VIII, alias non art. 6.

Secularis vtens veste Religiosa virorum, aut mulierum, si ex sola leuitate, & sine irrisione vel turpitudine faciat, non videtur peccare mortaliter; secus, si fiat causa ludibrij, vel vituperij. Imò si non fiat hac de causa, sed tamen in rei veritate fiat cum ludibrio, vt cum defertur lasciuè, &c videtur mortale. Similiter cum ea vtuntur mimi, & histriones exercendo vituperiosa art. 7.

Omnibus, & singulis vtriusque sexus personis licet sepeliri in habitu Fratrum Minorum, si id velint, iure tamen Ecclesiarum Parochialium, & cuiuslibet alterius semper saluo. Possunt & sic indutorum corpora discooperta, nullo pallio vel tegumento superposito, ad sepulturā de-

deferri, excommunicanturque Ecclesiarum Rectores, & Curati, si moniti Canonice taliter sepeliri volentibus impedimentum afferre persistant. art. 8. & 9. ex concess. Sixti IV. Vide Sepultura.

Solius Guardiani est in Ordine Minorum, aut Prioris domus in Ordine Prædicatorum, aut Superioris Prælati, aut alterius, cui duxerint committendum, dare habitum ijs, qui cum eo sepeliri elegerint. art. 9.

Tam morientes, & sepeliendi in habitu Fratrum Minorum, quam morientes, & sepeliendi in habitu Sororum tertiæ Regulæ S. Francisci, sub obedientia Generalis, & Prouincialium degentium, consequuntur plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, ex concess. Leon. X. qui etiam declarauit sufficere prędictum habitum petere, ac super se vsque ad mortem habere, & in eo sepeliri, etsi ante mortem non induatur. art. 10.

Osculantes habitum Fratrum Mendicantium lucrantur quinque annos, & totidem quadragenas de iniunctis penitentijs, seu dies 2075. Ex Ioanne XXIII. art. 11.

HÆ-

HAEREDITAS.

Vide Exhæredari, Episcopus, Testamentum.

MOnachus factus hęres, non potest adire hæreditatem sine consensu Abbatis, sed eo nolente potest adire Monasterium. tom. 2. q. 77. art. 1.

Fratres Minores Obseruantiæ nullatenus sunt capaces successionum hęreditatum, nec licet eis valorem talium hæreditatum, vel tantam earum partē quasi sub modo, & forma legati dimitti sibi facere (quod præsumi possit hoc in fauorem fieri) vel sic dimissas recipere. Quin potius ista sic fieri ab ipsis Fratribus simpliciter, prohibuit Clemens V. in Clem. Exiui, de verb. sign. Vnde si instituantur hæredes, & nullum habeant substitutum, vel cohæredem, testamentum nullum est, pertinebitque hæreditas ad venientes ab intestato. tomo secundo, quæst. 78. artic. 1. 2. & 3. tom. 3. quæst. 69. art. 10.

Quamuis Fratres Minores non possint recipere hæreditatem, quæ continet quoddam ius vniuersale: possunt tamen recipere singularia relicta, aut aliquod fidei

fideicommissum particulare, quod Syndicus petere potest, vt Fratrum necessitatibus subueniat. to. 2. q. 78. art. 3. & 4.

Quando Fratres Minores instituũtur hæredes cum clausula apposita, quod pro eorum necessitatibus vendatur dicta hæreditas, & in eas conuertatur licet talis dispositio non teneat quoad institutionem hæredum, & habeatur pro non scripta (cum illius Minores sint penitus incapaces) tenet tamẽ, & validum est testamentum quoad piam causam ibi appositam: quia (tametsi non sit persona, in quam ius, & nomen hæredis cadat) in piis causis sufficit, quod hæreditas ad piam causam relinquatur. Adde quod personam, quæ hæreditatem adeat repręsentabit Episcopus, vel Respublica. art. 4.

Si Fratres non instituantur hæredes, sed alter qui debeat hæreditatem vendere, & eius pretium in necessitates fratrũ expendere, hoc nullo modo videtur iure fratribus prohibitum: quare licite poterunt acceptare; hunc tamen, sicut & præcedentem, Aphorismũ intellige, modo quantitas non sit tam magna, quod videatur in fraudem facta paupertatis, sed sit tantũ ad subleuandas necessitates Fratrum præsentes, vel imminẽtes, quia alias saperet thesaurizationem, ibidem.

Quam-

Quamquam Fratres Minores incapaces sint relictorum in testamentis, variis tamen modis eis consulitur. Primò, Iudicis officio, qui ex suo mero munere, nemine etiam ad hoc agente, compellere potest illum, qui ad aliquid tenetur ex testamento, vel aliàs, vt relicta minoribus soluat, & testamentum adimpleat, art. 1.

Secundò, cuilibet populo competit actio, & quilibet a populo potest agere, vt relicta ad pias causas (puta Fratribus, pauperibus, &c.) adimpleantur per illum, qui grauatus est a testatore, vel aliàs ad hoc tenetur, ibid.

Tertiò, potest Syndicus petere nomine Papæ prædicta legata, dummodo hoc fiat cum aliis debitis circumstantiis, ibid.

Ecclesia Fratr. Min. potest institui hæres secundum Bartolum, cum sit de iure, & proprietate Ecclesiæ Romanę; Baldus tamen contra sentit, art. 5.

Mendicantes per priuilegia possidere valentes, possunt succedere ab intestato, nisi contrarium habeant eorum constitutiones authoritate Apostolica confirmatæ, quas quisque videre debet, art. 6. & 7.

Monachi Benedictini, & Cistertienses succedunt ab intestato, tanquam si

in

in ſeculo eſſent, & licitè poſſunt petere, & retinere hæreditates, fideicommiſſa, & legata. Ex conceſſione diuerſorum Pontificum, art.8.

Regulares non Mendicantes, vt ſunt regulariter omnes Monachi & Canonici Regulares, licèt non poſſint habere bona in particulari, poſſunt tamen in bonis temporalibus ſuccedere, ac ſi mũdum non reliquiſſent. Et licèt iure prohibeantur ſuccedere in feudis, ex conceſſione tamen Sedis Apoſtolicæ iam ſuccedunt modo ſupradicto. Pro quo vide Feudum, art.9.

Conuerſi remanentes in ſeculo, neque profitentes aliquam Regulam Religionis approbatæ, ſuccedunt cõſanguineis, ac ſi non eſſent oblati: ſi verò non remanent in ſeculo, & Regulam aliquam profitentur; tunc ſuccedunt Monaſteria, ſi ſint capacia: ſin minus, ad conſanguineos defertur hæreditas, art.10.

Moniales, quæ poſſunt habere proprium in communi, ſiue per Regulam, ſiue per priuilegium, poſſunt ſuccedere, aliæ non, vt ſunt Sorores vocatæ Collectaneæ S. Claræ, art.11.

Religioſi, quorum Monaſteria capacia ſunt ſucceſſionis, ſuccedunt in maioratu, recipiuntque commoditatem totam ex illo prædicta Monaſteria, interim

rim dum tales Religiosi vixerint: quod verum est, etiamsi maioratus habeat, annexam dignitatem, iurisdictionem, aut quæcumque alia, modo tamen religioni non sint incompatibilia; idem est etiam de Monialibus, in maioratu scilicet succedunt, sicut Religiosi. artic. 12. & 13.

Ad exclusionem Monasterii a maioratu non sufficit præsumpta, aut interpretatiua voluntas fundatoris, seu institutoris; sed necessaria est clara, & manifesta per verba clara, & manifesta ipsum excludere volentis. ibidem.

Monialis renuncians suæ legitimę, & cuicũque successioni, quomodocumque illi obuenerit, & ex quacunque parte, habet, non obstante prædicta renunciatione (similiter eius Monasterium) ius ad petendum maioratum, nisi etiam maioratui expresse renunciarit; quia renunciationes sunt stricti iuris, & talis naturæ, vt non comprehendant nisi quod exprimunt. art. 14.

Fratres Minores Regularis Obseruantiæ meliorati a parentibus in tertio, & quinto, habent ius ad talem meliorationem, si postea fiant capaces, facti Episcopi, aut transeuntes ad Religionem bonorum capacem; pertinetque melioratio, & legitima ad secundum Mona-

ste-

sterium.tom.2.quæst.79.art.1.

Monacho professo validè in vno Monasterio, transeunte voluntariè ad aliud, & licite, & valide, omnia bona eius, quæ post professionem ipsam primam, vsque ad secundam quæsiuit, & etiam ea quæ habebat tempore illius primæ professionis, remanebunt Monasterio priori, siue bona, quæ habuit ante professionem donasset expresè priori Monasterio, siue tacite in consequẽtiam suæ personæ: quæsita vero post secũdam professionem erunt secundi Monasterii. art.2.

Professio in Ordine Minorum de Obseruantia est mors ciuilis operans omnẽ effectum, quem mors naturalis: vnde ea facta, statim consanguinei succedunt non expectata morte naturali. tom.2. q. 80.art.1.

Secus est in Ordine Prædicatorum, & aliis Religionibus, quæ possunt habere bona in communi, in quibus mors ciuilis non operatur omnem effectum, quem mors naturalis; hinc in iis, succedentes Religioso ex testamento, vel ab intestato debet expectare mortem naturalem professi. Interim enim quod non moritur naturaliter, dispositio, quã fecit in testamento, vel quæ facienda esset ab intestato, erit in suspenso, nisi

in

in testamento aliter disposuerit ipse Religiosus, ibid.

Monacho nondum professo tacitè, vel expressè, decedenti in Monasterio cuiuscumque Religionis, ab intestato succedunt consanguinei. Idque procedit, non solum si simpliciter ingressus fuisset non facta mentione de suis bonis; sed etiam si se obtulisset cum suis bonis, vel se, & bona obtulisset. Quia videtur sub quadam tacita conditione obtulisse, si scilicet sequatur professio, art. 2.

Si tamen prædictus ingrediens Religionem, nec professus, longè ante ingressum bona obtulisset, non succederent venientes ab intestato, sed Monasterium, quia in dubio videtur obtulisse nō contemplatione ingressus, & professionis. Similiter si ingrediens obtulisset expressè bona Monasterio, tempore ingressus declarando velle se apud Monasterium prædicta bona manere, remanebunt; quamuis professio non sequatur, quia tacita conditio, quæ præsumi poterat, per expressam contrariam voluntatem tollitur, ibid.

Si ingrediens Monasterium decedat facta professione solemni, succedit Monasterium, non tantum quoad dominiū, sed etiam quoad possessionem, nisi habeat liberos, quibus iure debetur legitima;

ma; quam etiam multi tenent deberi parentibus defuncti, ibid.

Non potest filius petere legitimam sibi debitam in bonis patris facti Religiosi, etiam post professionem, donec pater moriatur. ibid.

HAERESIS.

Vide Matrimonium, Eleemosyna, Reseruatio casuum.

OMnes Religiosi, etiam Mendicantes, hodie (quod olim ita non erat) subijciuntur officio S. Inquisitionis per multos Pontifices, nisi eorum Superiores iudicium, & causam præoccupauerint, per Extrauagantem Pij Quarti, quę quoad hanc partem licèt aliquando fuerit recepta; nunc tamen S. Tribunalis stylus, & consuetudo contrarium obseruat: nulli enim Superiores audent suos in hac causa iudicare, ac punire, sed protinus ad S. Officium deferunt, tom. 2. q. 81. art. 1.

Inquisitor de Ordine Prædicatorum non potest procedere in Fratrem Minorem, nec è contra, sine expressa Papæ licentia, per Sixtum IV. art. 2.

Inquisitores Religiosi priuilegio exépti

pti sunt ab obedientia sui Superioris, quoad omnia tangẽtia executionem dicti Officii; vnde possunt ire Romam, ibique morari non obtenta, vel petita licentia quorumcumque Superiorum. art. 5.

Cùm Inquisitores sint Iudices in vtroque foro, possunt ex communi consensu, graui ex causa committere alteri Confessario, absolutionem in foro conscientiæ respectu criminis hæresis, nisi institutione, & supremi Iudicis mandato prohibeantur. art. 4.

Dicunt quidam Inquisitorem vnum, quia ordinarius est, præsertim dum solus visitat, posse audire confessionem, & ab hæresi absoluere facta abiuratione, aut committere ex causa alteri Confessario, circa personam longè distantem, & impeditam accedere ad Inquisitorem, vt est v. g. Monialis. art. 4.

Sixtus IV. statuit, quòd Inquisitores hæreticæ prauitatis quicumque sint, possint procedere contra eos, qui asseruerint, quòd confessi fratribus Mendicantium teneantur confiteri eadem peccata Rectoribus Parochialium Ecclesiarum. art. 6.

Inquisitor potest vnum, aut plures Clericos, & Regulares assumere, & creare in Notarios. art. 7.

In-

Inferior Papa, nisi ex eius speciali delegatione, licentium legendi libros hæreticorum, etiam ad eorum errores confutandos, concedere non potest. Ex Nauarro. tom. 2. q. 82. art. 3.

Præpositi Societatis amplissimas facultates habent a Pio V. & Greg. XIII. circa lectionem librorum prohibitorũ, etiam contra Bullam Cœnæ Domini, quæ an adhuc valeant, & maximè in Hispania, dubium est, ibid.

Fiscus secularis confiscans bona Religiosorum, & Clericorum hæreticorum, incidit in excommunicationem Clemẽtinæ Nolentes, de hæreticis; quod tamen fallit cõfiscando bona mobilia Fratrum Minorum, quorum dominium benefactores seculares sibi reseruarunt, quia talia non sunt bona Ecclesiastica, tom. 2. q. 83. art. 2.

H O M I C I D A.

Vide Eijcere a Religione.

Religiosum homicidam, aut patricidam, & fratricidam ius non præcipit tradi brachio seculari, sed alia graui pœna affici, to. 2. q. 34 art. 1.

Percutiẽs Magistratum, Gubernato-

res, Capitaneum, &c. capite plectendus est secundum leges. Ergo percutiens Superiorem Prælatum, & Guardianum enormiter potest eiici a Religione. Vbi tamen nō videntur comprehendi ij, qui enormiter Vicarios Guardianorum, aut Diffinitores percutiunt, art. 2. Vide Eijcere a Religione.

HOSPITALE.

CONcil. Trident. agens de hospitalariis, sess. 7. cap. 15. & sess. 25. cap. 8. comprehendit indifferenter seculares, & Regulares etiam exemptos. Tamen in quinque casibus Religiosi non comprehenduntur in Clement. Quia contingit. de Religio. dom. Vide ibi Glossam. tom. 2. q. 84. art. 1. & 2.

Hospitantes in Hispania Fratres Minores habent multa priuilegia regalia, quæ Hispanicè scripta vide tom. 3. q. 40. art. 2. Inter quæ vnum est, quòd non tenentur contribuere id, quod alij ciues contribuunt pro militibus accommodandis, ibid.

IEIVNIVM.

Vide Prædicare, Quadragesima.

ITinerans pedestris, conficiens iter sex leucarum, communiter a DD. excusatur a ieiunando, Fratres verò Mendicantes etsi tantum iter non faciant, vt excusentur a ieiunio, possunt ex priuilegio transferre ieiunium Regulare in aliũ diem, non autem ecclesiasticum, vt Vigiliæ, &c. tom. 2. quæst. 100. art. 3.

Fratres Minores ex vi Regulæ præcepto tenentur ad ieiunandum Quadragesimam, sed non alia ieiunia Ecclesiæ, v.g. Quatuor temporum, Vigiliarũ, &c. Ergo professi annos 20. nondum habentes, nullo præcepto ad illa tenentur, art. 4. & 6.

Ieiunia Regulæ Fratrum Minorum ieiunanda sunt cibis Quadragesimalibus. secundum constitutiones antiquas, & Barchinonenses. Quemadmodum Patres in expositione Regulæ dicunt sic fuisse intellectum, & iussum obseruari a Patre nostro Francisco, nisi aliud obtinuerit in aliquibus prouincijs præscripta consuetudo. art. 7.

Fratres professi statim tenentur ad ieiunia Regulæ, cui se voluntariè subdiderunt, quod approbat, & interpretatur antiqua, & præscripta consuetudo, art. 8.

Frater Minor frangens ieiunium Feria sexta Quatuor temporum, Pentecostes, & Septembris, facit cõtra duo præcepta; sicut & ille qui non ieiunaret in Vigilia Sancti Thomæ, & Mathiæ, casu, quo hæc Vigilia in Quadragesima, & sexta Feria eueniret. Sed frangens ieiunium Feria sexta Aduentus, & Quadragesimæ vnicum transgreditur, ratione scilicet Quadragesimæ, & Aduentus, nõ ratione Feriæ sextæ, quia dicit Regula: *Aliis autem temporibus non teneantur, &c.* art. 8.

ILLEGITIMVS.

Filii militum Regularium illegitimi sunt sacrilegi, ob solemne votum castitatis coniugalis, vnde non legitimantur per subsequens matrimonium, to. 1. q. 13. art. 2.

Iure communi per ingressum Religionis tollitur illegitimatio quoad Ordines sacros tantum, in quam tamen reincidũt qui non profitentur, quantum ad executionem Ordinis suscepti: hinc parum necessario

cessaria videntur esse quædam ad hoc data priuilegia, art. 3. & 4.

Prælati generales, & prouinciales olim per multa priuilegia poterant dispensare cum illegitimis quoad prælaturas, & dignitates, sed reuocata sunt omnia per constitutionem Sixti V. Quam tamen Greg. XIV. sic modificauit, vt iam liceat eis solis cum Capitulo generali, aut prouinciali proprio, aut intermedio tãtum, art. 6.

Probabilius est, eosdem Prælatos cum Capitulo (vt supra) posse etiam dispensare cum filiis illegitimis Religiosorum quoad Prælationes obtinendas in eodem Ordine, sed non in eodem Conuentu, in quo eorum pater Prælationem habuit, art. 7.

Filius concubinæ, si antequam pater eius matrem duxerit, promoueatur ad Prælaturam, indiget dispensatione; si verò post contractum matrimonium, non eget. Et hæc dispensatio fieri potest in Congregatione intermedia, quæ per cõstitutiones generales habet vim Capituli, art. 8. & 9.

Prælati Regularium possunt quidẽ dispensare per sua priuilegia cũ suis quoad dignitates Ordinis obtinendas, sed non quoad quascumque extra Ordinem, ergo non possunt eos legitimare, id est,

 sim-

simpliciter eos restituere natalibus. Similiter secularis illegitimus dispensatus ad aliquod beneficium, v.g. ad Curatum, factus Religiosus, non est dispensatus ad Prælaturas; secus tamen esset, si fuisset legitimatus: legitimatio enim est latè extendenda, cum sit beneficium Principis; dispensatio verò, vtpote odiosa, est restringenda, art. 10.

Inter dispensationem, & legitimationem, prout huic instituto congruunt, hæc est differentia; quòd dispensatio solum faciat habilem ad ea, ad quæ quis iure canonico, aut ciuili est inhabilis; legitimatio autem ad omnia habilitat, ibidem.

Illegitimus factus Canonicus Regularis Ecclesiæ Cathedralis non potest esse Archidiaconus sine dispensatione, nec post professionem Vicarius Episcopi, aut Prouisor. art. 12. & 13.

Cum gratia dispensandi cum illegitimis conueniat Prælatis Regularibus ex priuilegio, non possunt dispensare cum ijs sine iusta causa arbitrio boni viri iudicanda, alioquin dispensatio erit nulla, art. 14. & 15.

Illegitimus in Capitulo, aut Congregatione intermedia Canonicè electus a Patribus, qui eius nouerint inhabilitatē; in Prælatum, censetur esse dispensatus in

con-

conſcientia, ſi talis eorum fuit intentio; in foro autem exteriori non erit, niſi actualiter cum ipſo diſpenſetur, articulo 16.

Illegitimus non poteſt eſſe Diffinitor ſine diſpenſatione: Diffinitoriatus enim importat dignitatem perſonatus, cum ſit quædam prerogatiua abſque iuriſdictione, art. 18.

Non poteſt etiam illegitimus eſſe diſcretus mittendus ad Capitulum prouinciale ratione vocis paſſiuæ, qua caret; ſi tamen attendamus ad vocem actiuam tantum, poſſet. Verum cum non poſſit renunciare voci paſſiuæ, abſolutè nequit eſſe diſcretus, art. 19.

Poſſunt illegitimi eſſe Confeſſores Monialium, Magiſtri Nouitiorum, & Vicarij Conuentus ſub Guardiano, vel Priore, cum tales non habeant iuriſdictionem ordinariam, ſed delegatam, artic. 20.

Moniales non egent diſpenſatione ad Prælaturas, ſiue perpetuas, ſiue temporales ſui Ordinis, cum non habeant Prelationem ordinariam, ſed quaſi ex commiſſione. Si tamen (vt volunt quidam) diſpenſatio requiratur, poterunt cum eis diſpenſare earum Prælati, etiam extra Capitulum, art. 21. & 22.

Poſſunt Prelati diſpenſare cum fami-

liaribus,& actu seruientibus Conuentui ad quæcumque beneficia Regularia, etiam Curata,modò non assumantur in fraudem ipsius priuilegij; possunt autem id facere etiam extra Capitulum. art.23.& 24.

IMMVNITAS.

PRæsumentes effringere Ecclesiam Regularem, aut loca Fratrum, aut in illis damnabilem violentiam exercere,excommunicantur, olim a solo Papa, iam etiam a Superiore domus, quoad forum conscientiæ tantùm absoluendi. Quam excommunicationem non incurrunt effringentes aliquod prædictorum, non vt capiant, sed tantùm vt inquirant reum, quia habent ius ad quærendum, & per consequens ad omnia impedientia dictam inquisitionem remouenda. tom.2 q 50.art.2.

Iudices seculares inuentum reum in Monasterio, &c. etiam immunitate Ecclesiastica indignum (vt sunt per declarationem Greg. XIV. publici latrones, viarum grassatores,agrorum depopulatores, & qui in locis sacris homicidia, aut mutilationes fecerunt, aut qui proximum proditoriè occiderunt, assassini,

hæ-

hæretici, aut læsæ Maiestatis rei (nullo modo extrahere possunt sub pœna excommunicationis, donec Episcopus proprius, aut vicinior, causa priùs cognita, eis tradiderit. Dum autem causæ notitia inquiritur, non in seculari carcere, sed in ecclesiastico debet asseruari, repertúsque gaudere immunitate Ecclesiastica, ad Ecclesiam, vnde extractus est, debet reduci. art. 3.

Dicunt aliqui ꝙ sodomita, & grauissimè peccans non gaudet immunitate, nec Clericus; nec Religiosus; sed standum est consuetudini receptæ. art. 4.

Regulares permittentes in suis locis, vel Ecclesiis malefactores a ministris iustitiæ capi, nisi particularem afferant Episcopi, aut eius Officialis licentiam contra particularem illum malefactorem, cum interuentu personæ ecclesiasticæ ab eo authoritatem habẽtis (quidquid eis iurauerit Iudex, si fidem non seruet, sed occidat (incidunt in irregularitatem per Bullam Gregor. XIV. Quod etiam verum est eo casu, quo malefactor non gauderet immunitate, quãdoquidem tunc nulla ratione sibi persuadere debuerint, quòd Iudex fidem ipsis seruaret. art. 3. & 5.

In quibus casibus Cõmendatarij Ordinum militarium gaudeãt immunita-

te, & in quibus non, vide q. 62. tom. 2. ab ar. 13. vsque ad 18.

Totum Monasterium venit intelligendum nomine Ecclesię & gaudet immunitate eiusdem per priuilegium factum Cistertiensibus, etiam Monasterij grangijs, ab Eugenio Quarto, to. 2. quæst. 65. art. 2.

INDVLGENTIAE.

Vide Infirmi, Itineratio, Dispensare.

PRælati habentes iurisdictionẽ quasi Episcopalem, verisimiliter possunt suis subditis concedere Indulgentiam eodem iure, quo Episcopi, scilicet diuino, licet aliqui contradicant, allegantes contrariam consuetudinem totius Ecclesiæ; sed consuetudo non præscribit contra ius diuinum. Vide Iurisdictio, tom. 2. quæst. 86. art. 2.

Prouinciales Mendicantium facta visitatione possunt dare Fratribus, & Sororibus benedictionem, & plenariam Indulgentiam per priuilegia facta Ordini Minorum, & Societati IESV. Per Leonem X. & Gregorium XIII.

Item Prædicatores quicumq; eorumdem

dem Ordinum, in quibuſcumque Eccleſijs, aut locis poſſunt dare ſuis auditoribus 40. dies Indulgentiarum. per Alex. IV. art. 2.

INDVLGENTIA plenaria a Fratribus lucranda.

Vide Abſolutio quoad Fratres, Capitulum, Conceptio, Diuinum officium.

INdulgentiam plenariam lucrantur Fratres Minores per multa priuilegia. Primò, in die receptionis habitus, profeſſionis, & mortis articulo, non solũ vero, ſed & præſumpto. Sed ſi lucrati fuerint in præſumpto, non remanebit pro vero, tom. 2. q. 87. art. 1. & 9.

Secundò, celebrantes in omnibus diebus Dominicis, in omnibus Feſtis Domini Sabaoth, Beatæ Mariæ, & Sanctorum Ordinis Minorum. Imò per communicationem priuilegiorum, quotieſcumque communionem ſumunt, cum id ſit Monialibus Sanctæ Claræ conceſſum per Innocent. VIII. & Leon. X. artic. 2.

Quando aliquo die ad Indulgentiam

plenariam requiritur Communio,& Cõfessio, Fratres legitimè impediti lucrantur, vt alii, ex Gregorio XIII. Similiter, qui inculpabiliter non receperint, si post sublato impedimento perfecerint, quæ prescribuntur, Indulgentiam consequũtur, etiamsi dies constitutus præterierit. ibidem.

His prædictis gaudent etiam Confratres Chordæ Sancti Francisci, & omnes alii Regulares etiam non Mendicantes, qui Minorum priuilegiis communicant. ibid.

Tertiò, recitantes coronam Christi continentes 33. Pater noster,& Aue Maria, in honorem 33. annorum vitæ eius, & coronam B. Mariæ continentem 62. Aue Maria, cum 7. Pater noster, & vno Pater,& Aue,pro summo Pontifice. Infirmi,qui non valent tantum dicere,supplent per vnum Psalmum, aut Hymnũ Iesu Christi,aut B.Mariæ. Denique idem lucrantur recitantes canticum Graduũ. art. 3.

Quartò,facientes, vel audientes Missam Conceptionis B. Mariæ, vt sup. Vide Conceptio. art. 4.

Quintò, ex Adriano VI. dicendo in pulsatione campanæ ad Aue Maria, ad primum signum, Angelus Domini, &c. & Aue Maria. Ad 2. signum, Ecce ancil-

la

la Domini,&c. cum Aue Maria, Ad 3. signum, Et verbum caro factum est,&c. cum Aue Maria, lucrantur Indulgentiam plenariam. art. 12.

Sextò, lucrantur Indulgentias Stationum Romæ, Ierusalem, Sancti Iacobi, Portiunculæ, dicentes quacumque hora diei, vel noctis, & quocumque loco (sine vlla restrictione) se inuenerint, 6 Pater noster, & totidem Aue Maria, cum sex Gloria Patri,&c. Quorum quinque intentione totius Ecclesiæ dicuntur; sextum verò pro summo Pontifice. art. 7.

Quæ sint, & quantæ illæ Stationum Indulgentiæ, vid. a quæst. 88. ad 89.

Clem. VII. concessit Camaldulensibus, Oblatis, & Nouitiis suas Ecclesias visitantibus,& ibidem recitantibus Psal. Exaudiat, vel 3. Pater, & Aue, rogando pro felici statu suę Sanctitatis omnes Indulgentias quæ a Sede Apostolica, in generali, & in particulari, aut quouis modo erant concessæ, & concedendæ sub quauis verborum forma, Ecclesiis totius mundi, nec non Rosario B. Dominici. Quod si quis legitime impeditus prædictas Ecclesias non potuerit visitare, sufficiet dicere, quocumque in loco se inuenerit, semel Psalmum:

Exau-

Exaudiat, vel 3. Pater, & Aue. Si verò omnino dicere nõ potuerit, sufficit quod sola mente, & intentione: quo indulto gaudent omnes alij per communicationem priuilegiorum. art. 3.

INDVLGENTIAE quoad seculares.

Vide Habitus, Benefactores, Confratria.

SAeculares omnes vtriusque sexus verè pœnitentes, & sacra communione refecti, lucrantur Indulgentiam plenariam visitando a primis Vesperis vsque ad occasum Solis sequentis diei Ecclesiã Fratrum Minorum, & ibi orando pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, in omnibus Sanctorum eiusdem Ordinis Festiuitatibus. tom. 2. quæst. 87. art. 5.

Item visitantes easdem Ecclesias in Festiuitatibus Christi, & B. Marię lucrãtur pro quocumque Festo 548. annos, & 260. dies ibidem.

Item visitantes easdem Ecclesias in quibuslibet diebus lucrantur Indulgentiam 40. annorum, & 300. dierum, sed in

Qua-

Quadragesima quotidie 3857. annorũ, & 207. dierum. quæst. 94. art. 1.

Fratres Mendicantes quandocumque prędicant in domibus suis, possunt concedere suis auditoribus 18. annorum, & 322. dierum Indulgentiam. Quæ reducta per dies facit 7000. & 722. dies. Sed cum alibi prædicant, tantùm possunt cõcedere 18. annorum. 222. dierum. Attamen quando prædicant in domibus suis Feria 2. 4. & 6. Quadragesimæ, possunt concedere in summa 156. annorum, & 524. dierum, per nouem summos Pontifices, quæst. 95. art. 1.

Seculares audientes primam Missam Fratrum Prædicatorum lucrantur annos 3. & ampliùs, per multos Pontifices. art. 2.

Item facientes celebrari Missas in Ecclesiis eorumdem, & alia diuina Officia, lucrantur ferè mille dies. Et audientibus sermones, & Missas in Ecclesiis Fratrum Minorum quolibet die, pro qualibet vice concessit Alexander IV. centum dies. ibidem.

In die S. Ioannis Euangelistæ, & eiusdem Festo, quod dicitur ante portam Latinam, & in Sabbatho Palmarum, Fratres Minores Reg. Obseruantiæ ex Leone X. liberant animam è Purgatorio dicendo ante venerabile Sacramentum se-

ſeptem Pſalmos pœnitentiales, aut quinque Pater, & Aue. Sed vult præfatus Pōtifex, vt tali die Fratres recitent coronā Beatæ Mariæ pro ſua Sanctitate. quæſt. 96. art. 1.

Fratres Minimi habent, quòd die Lunæ, & Mercurij in omnibus Conuentibus ſui Ordinis, Prælatus, qui dicitur Corrector, celebrans pro aliquo defuncto, animam liberet. At ſi in domo ſit Prouincialis, ipſe eſt qui animam extrahit. ibid.

Leo X. conceſſit Fratribus Minoribus Indulgentiam plenariam toties quoties dixerint Vigilias, aut ſeptem Pſalmos. ibidem.

Calixtus III. conceſſit Indulgentiam plenariam pro patribus, & matribus omnium Fratrum Minorum præſētium ac futurorum in Purgatorio exiſtentibus; quod quidem ſic eſt interpretatum, vt ſcilicet in mortis articulo plenariè poſſint abſolui, & Indulgentiam plenariam recipere. ibid.

Omnes Indulgentiæ lucrandæ per recitationem ſex Pater, & Aue, cum Gloria Patri, vt ſup. quæſt. 88 poſſunt applicari defunctis per modum ſuffragij. art. 8.

Recitantes Pſalmum Miſerere, aut qui neſcit, quinque Pater, & Aue, flexis

ge-

genibus in Ecclesiis nostris principalibus, aut annexis, consequuntur indulgẽtias, & vrbis, & orbis, ex concess facta Ord. S. Benedicti confirmata per Innoc. VIII. Alex. VI. Iul. II. dummodo pro eorum animabus dicatur oratio, Deus qui inter Apost. &c. potestque hæc concessio applicari defunctis. ibid.

INDVLGENTIARVM publicatio.

INdulgentias concessis alicui Monasterio aut Ordini pro Fratribus, & sibi subditis, potest solus Prælatus publicare, non autem pro secularibus; quia tunc debent ab Episcopo duobus adhibitis de Capitulo examinari, & approbari, ex Conc. Trid. ad vitandos falsos abusus quæstuariorum. tom. 2. quæst. 98. art. 1.

Grauiter peccant Religiosi prædicantes Indulgentias indiscretas; dicuntur autem indiscretæ, quando non fuerunt concessæ, vel malè concessæ, vel quando sunt dubiæ. art. 2.

Indulgentiæ concessæ valent a tempore quo sunt datæ, sed quantùm ad eos qui lucrari volunt, incipiunt in eis ef-

efficaciam habere a die publicationis, & præsentationis earum, art. 3.

Pleraque alia, hanc Indulgentiarum materiam concernentia vide ab artic. 3. vsque ad finem quæst.

INFIRMI.

RECeptissima est sententia, quod omnia, quæ iubet concessio Indulgentiæ fieri, debent impleri, vt possit lucrari; ita vt etiamsi infirmitate, aut legitimo alio impedimento aliquis sit detentus, sic vt ea non possit implere, Indulgentiam non lucretur, nisi sua Sanctitas cum infirmis, & legitime impeditis dispensare Apostolica authoritate dignetur, quia Indulgentia est stricti iuris, nec valet vltra quam sonat. tom. 2. quæst. 102. articulo 1.

Eugenius IV. concessit Fratribus Minoribus de Obseruantia, quod si casus occurreret, quo non possent confiteri, etiam tunc cõsequantur Indulgentiam plenariam, a se & a pluribus alijs Pontificibus, pro articulo mortis eis concessam, modo sint in statu gratiæ. ibidem.

Benedictini infirmi, aut occupati lucrantur easdem Indulgentias, quas alij assistentes diuinis officijs, etiam in festo corporis Christi, ex Eugenio IV. ibidem.

Item

Item senes, & infirmi Ordinis Sancti Hieronymi facientes aliquod pium, & æquiualens opus, lucrantur omnes Indulgentias, ac si visitassent Altaria, aut Ecclesias, vel aliud opus requisitum ad lucrandam Indulgentiam implessent. ibidem.

Fratres laici experti in medicina, ex doctrina, aut exercitio ante vel post ingressum, de licentia suorum Superiorum possunt mederi infirmis secundum infirmitatis exigentiam, si ex deuotione, aut charitate inuocentur. art. 2. ex Eugen. IV & Nicolao V.

Idem possunt omnes Religiosi Societatis, absque metu irregularitatis erga omnes etiam seculares, quando commode Medici seculares haberi non possent, citra tamen adustionem, & incisionem per ipsos faciendam. Ex concesione ipsis facta per Gregorium XIII. ibidem.

IMPRIMERE.

OLim poterant Fratres per Clemen. VII. imprimi facere libros continentes tantum spectantia ad suum Ordinem, sine Ordinarij, & Inquisitoris examine, sed hoc reuocat Conc. Trid. sess.

de

4. de vsu, & editione sacrorum librorum. tom. 2. q. 104 art. 1.

Regularis obtinēs regale priuilegium prohibitiuum, ne alius imprimat aut vēdat libros a se compositos, acquirit tale ius suo Monasterio capaci, scilicet possessionis iuris; alias acquirit Papæ, vt Frater Minor: & tunc Syndicus solus nomine Papæ potest procedere contra Infractores, & tale ius petere. ar. 1. & 2.

Vitanda summopere est mercatura, & turpe lucrum venditionis eiusmodi librorum, præsertim à Fratre Minore, cui non licet vllo modo imprimere facere libros lucri gratia, cum sit per Regulam interdictum. ibidem & art. 3.

Syndicus per tale ius regale potest quidem agere pro damno vitando, & impedire furtiuas impressiones, & venditiones, ne impressio Fratrum damnificetur, sed non potest agere pro lucro captando, quia hoc repugnat statui Fratrum. art. 4.

IN

INQVISITOR FIDEI.

Vide Hæresis.

INTERDICTVM.

GEneralis aliquis Regularis, vel Abbas iurisdictionem quasi Episcopalem habẽs posset interdicere aliquam ciuitatem, aut castrum, in quod haberet plenariam iurisdictionem, alias non. tc. 2.q.107.art.2.

Item Priores Monasteriorũ non Mendicantium possunt interdicere suos subditos ab audiendis Officijs diuinis, & confessionibus; sed hosi nequeunt Mendicantes, cum hoc ad Superiores Prælatos pertineat. ibidem.

Prælati omnes, qui ordinaria potestate possunt excommunicare possunt, & interdicere suos, eosque suspendere, & absoluere, per se, vel per alium Clericum, non tamen per fœminam etiam Abbatissam; nam illa secluso priuilegio non est capax huius iurisdictionis. art. 1. & 3.

Certum est, omnia Monasteria ciuitatis, aut castri interdici, quãdo ciuitas ipsa aut castrũ interdicuntur etiãsi sita sint extra muros. Tñ concessit Iulius II. Fra-

tribus Minoribus, quod si contingat ciuitatem, vel oppidum cum duobus vel tribus milliaribus circunuicinis (infra quæ milliaria domus Fratrum existunt) Ecclesiastico supponi interdicto, Fratres huiusmodi Ordinis (nisi causam interdicto dederint, vel eis specialiter ex causa legitima interdictum sit) nullatenus seruare teneantur, nisi alias domus ipsorum Fratrum de iure interdicto talis oppidi comprehendantur. tom. 2. q. 108. art. 1.

Concessit Fratribus Minoribus Leo X. quod Ecclesiæ ipsorum interdici non possint ad instantiam cuiuscumque personæ, quauis fulgeat dignitate, nisi tota ciuitas, vbi domus huiusmodi consistit, Apostolica, seu Ordinarij auctoritate Ecclesiastico interdicto supponatur. Simile est de Ecclesijs Sancti Ioannis, vt tenet Nauarrus, ad quas non extenditur interdictum, si Episcopus speciali interdicto singulas vrbis Ecclesias interdicat; quia etsi intra fines Diœcesis consistant, & in eadem ciuitate, in nulla tamen ciuilitatis communione participant. art. 2.

Licet Religiosi non possint ab Ordinarijs specialiter interdici ex multorum Pontificum indultis, vt Religiosi sunt, possunt tamen, vt beneficiati sunt, in Diœcesi alicuius Episcopi. art. 3.

In-

Interdictum siue valeat, siue non valeat, seruandum est ab omnibus Religiosis etiam exemptis, quando seruatur ab Ecclesia matrice. Secus est de secularibus Clericis, qui non tenentur Interdictum, quod nullum est, seruare, etsi Matrix Ecclesia illud seruet, art. 4.

Matrix Ecclesia dicitur Ecclesia maior, vel Baptismalis; vnde claret quo pacto differat a Metropolitana, quam in hoc non tenentur sequi Religiosi omnes per Diœcesim. art. 5.

Si plures sunt Parochiæ in vno loco, & vna seruat, alia non, tunc non tenentur exempti seruare ibi dem.

Regulares non seruantes validum Interdictum, quod seruat matrix Ecclesia (si tamen impositum sit authoritate Apostolica aut Ordinarij, aut alterius ad hoc specialiter deputati) non tantum excommunicantur, sed etiam alijs pœnis subijciuntur; matrice tamen non seruante, eā sequi non tenentur, cum debeant magis esse obseruatores canonum; si tamen tūc non seruent, non ligantur excommunicationis pœna, sed alijs, quæ in sacris canonibus continentur, quia scilicet sunt suspensi, & eis interdictus est ingressus Ecclesię. Si sententia interdicti non ligat, & seruet matrix Ecclesia, Religiosi non seruantes ligantur pœna excommunica-

nica-

nicationis, non aliis. art. 5. & 6.

Iuxta mentem Authoris contra Nauarrum priuilegia, quibus poterant Regulares certis tantum diebus non seruare interdictum, minime sunt reuocata, per Conc. Trid. sess. 25. de Regularibus. c. 4. &c. tom. 2. q. 112. art. 1.

Festiuitates, in quibus Mendicantes possunt per priuilegia tempore interdicti celebrare alta voce, & pulsare, sunt Festa omnium Sanctorum sui Ordinis canonizatorum, & eorum Octauæ, etiãsi de Octaua tantum fiat commemoratio; pro Minoribus præterea est Festum Portiunculæ, & septem, ac quinque Fratrum eiusdem Ordinis Minorum. Extenditq. se hoc priuilegium indifferenter, tam ad tempus interdicti specialis, quando Ecclesia Fratrum esset nominatim interdicta, quam generalis. art. 2.

In omnibus Festiuitatibus, quibus possunt Fratres iure communi, aut priuilegio celebrare tempore interdicti, possunt non tantum celebrare, & canere solemniter Horas, sed & Sacramenta administrare (ijs tamen qui possunt tunc ea recipere) & sepelire mortuos Religiosos, & seculare, in suis tamen Ecclesiis tantum ibidem.

Eadem omnino facere possunt Fratres toto tempore interdicti etiam Papalis,

lis, sed submissa voce, ianuis clausis, & sine pulsu. ibidem.

Multæ sunt aliæ Festiuitates, in quibus suspendi potest interdictum. ibidem.

Festa Sanctorum, quorum corpora ibi requiescunt, & patronorum Ecclesiæ sunt priuilegiata, similiter, & eorũ Translationes, cum quibusdam aliis. artic. 3. & 4.

Item totus dies professionis alicuius Fratris aut Sororis, & dies celebrationis primitiarum a primis Vesperis sunt exempti ab interdicto. art. 5.

Prælati Sancti Benedicti, & per communicationem etiam Mendicantium Prælati, tempore interdicti generalis, aut specialis eligere possunt inter viros, & mulieres sex personas (dummodo non dederint causam interdicto, & ipsum non sit positum, vel confirmatum authoritate Apostolica) non simul, sed successiue, quæ possunt illo tempore interesse diuinis in suis Ecclesijs, Sacramenta recipere, & sepeliri, sine solemnitate tamẽ, si aliquam illarum illo tempore mori contingerit. art 6.

Ex concess. Nicolai Franci Nuntij Apostolici in Regnis Castellæ, Legionis, & Aragoniæ, possunt eligere 15. simul. ibid.

Idem possunt Moniales, quòd ipsi Religiosi, per communicationem priuile-

giorum; specialiter verò Moniales Sanctæ Claræ, & Tertiariæ sub cura Fratrum Minorum degentes, habent etiam festum S. Elisabeth filiæ Regis Vngariç, & eius Octauam, tom. 2. quæst. 113. art. 1. & 2.

Operarii fratrum personaliter insisten tes operibus eorum, & negotiis, familiares eorum, & famuli actu seruientes possunt illo tempore interdicti cum fratribus audire, & recipere diuina, nisi fuerint excommunicati publicè, vel nominatim, vel causam dederint interdicto. Idem potest Syndicus fratrum, aut Sororum cum vxore sua, & filiis; possuntq; hi omnes sepeliri in Ecclesiis fratrum, si moriantur tempore interdicti, & cessationis a diuinis. Idem omnino permissum est Medicis ordinariis fratrum, aut Sororum (licèt non sint Doctores) quoad tempus interdicti, non cessationis a diuinis. tom. 2. quæstio. 114. articulo primo, secundo, & tertio.

IR-

IRREGVLARITAS.

Vide Bellum, Dispensatio, Immunitas.

MOnachus iuuans Chirurgum ad scindēdum membrum aliquod non incurrit irregularitatem, tum quia nullo canone exprimitur, tum quia per mutilationem membri sanitatis causa factam non incurritur irregularitas, to. 2. q. 105. ar. 3.

Regularis conquestus apud Iudicem de fure, protestans interim se non intendere sanguinem, sed tantum rei ablatæ restitutionem, si locum, vbi sit, ostendat, incurrit irregularitatem, nisi reus esset fugitiuus, & præsumi posset, quòd sentētia in eum lata nihil proficeret, nisi teneretur. Secus tamen si non indicaret locū vbi esset, aut non curaret teneri: nā protestatione facta tutus esse posset. ar. 4.

ITINERATIO.

Vide Apostasia, Ieiunium.

CAlixtus III. aliquando statuit, vt fratres Conuentuales itinerantes te-

talis gaudet priuilegio canonis, & fori. tom.2.q.2.art.1.

Decisio causarum Ordinum militarium, conceditur per Pium IV. ipsorum Ordinum Prælatis tam in ciuilibus, quã in criminalibus, cum prohibitione appellationis ad alios, quam dictorum Ordinum Iudices. art.2.

Assumens Ordinem Ecclesiasticum, aut ingrediens Religionem post delictum a se commissum in fraudem, vt se eximeret a iurisdictione seculari, non liberatur ab ea; sed potest per Iudicem secularem contra eum procedi ad punitionem delicti ciuiliter quidem; vel criminaliter, vel mixtim, si in Religione probata professionem solemniter tantum emiserit in fraudem, & non fuerit sacris insignitus, cum eius professio nulla sit, & inanis; si autem Ordines receperit, potest contra eum procedi, non vt possit puniri corporaliter a Iudice laico, sed tantum in confiscatione bonorum, aut pœna pecuniaria, prout qualitas delicti exigit, quia etsi Clericus non sit subditus Iudici seculari ratione personæ, manet tamen in hoc casu, ratione causæ, & bonorum. art.3.

Fraus in hoc casu præsumitur, si quis post delictum commissum, & ante susce-

ita tamen, vt eſſentialia iuris ſeruentur, & nihil incommodi patiantur ius naturale, & gentium. Ius autem gentium apud Regulares ſunt conſtitutiones Ordinis generales. tom 2. q 3 art. 1.

Iure, & ſpeciali priuilegio admittitur teſtimonium fratrum, etiam Nouitiorũ, in cauſis propriis Monaſteriorum ſuorum, ſiue ciuilibus, ſiue criminalibus, licet veniret ipſis aliquod lucrum de Monaſterio, modo tamen non potuerint extranei teſtes vocari, ne alioqui ius eorum pereat; modò illi fratres teſtes non ſint Conuentus actores, aut reſponſales. tom. 2. q. 11. art. 1.

Monachus poteſt cogi ad teſtificandum, quando aliter veritas haberi non poteſt, non tamen in cauſa ſanguinis, art. 2.

Moniales iuridice teſtantur contra alias, quando de rei veritate aliter conſtare non poteſt, etiam in criminalibus; ſufficitque duarum teſtimonium, quia licèt ſint mulieres, ſunt tamen Religioſæ Deum timentes. ar. 3.

Quàmuis validum ſit Regularis teſtimonium abſque ſui Superioris licentia datum; id tamen ei prohibetur, & iure repelli poteſt. Quin etiam in criminalib. requiritur facultas ipſius Prouincialis, ac propterea cauere debent Prælati Con-

uentuales, ne in ſimilibus cauſis dictani licentiam concedant, ſine expreſſo, aut ſaltem tacito conſenſu Prouincialis:nam etiamſi Religioſi faciant proteſtationem iuridicam ſi ex eorum teſtimonio ſequatur mors alicuius,aut enormis effuſio ſãguinis,aut membrorum mutilatio,remanent irregulares; vt bene notauit Couar. & Prælato hoc præcipienti non eſt obtemperandum. ar.4.

In criminalibus nunquam admittitur teſtimonium laici contra Clericum,niſi alij teſtes idonei deſint; & tunc in his eiuſmodi teſtimonium efficit tantum ſemiplenam probationem, quamquam in ciuilibus plenam efficiat: contra Monachos verò, licet non promiſcue, facilius nihilominus admittitur; eo quod Monachi non ſint adeò inuiſi,& ingrati laicis,ſicut Clerici ſeculares. ar.5.

Plura de materia teſtium, vide q.12. 13.14.15.& 16.

De Notario.

IVxta quandam Decretalem, in quouis iudicio etiam ſummario,quale plerumque eſt Regularium,requiritur Notarius, & Secretarius ad ſcribenda acta proceſſus; vnde quidam Prælati minus iuridice faciunt ſcribẽtes accuſationem, teſti-

testimonia, &c. nisi excusentur ex eo, q; communiter negotia Regularium sint parui momenti, aut quia taceant fratres, ac proinde censeantur in hoc iuri suo renunciare. tom. 2. q. 14. art. 2. & 3.

Est autẽ summarium iudicium illud, in quo sola veritate conspecta proceditur ad sententiam definitiuam, non seruatis iuris apicibus. ibid.

De Citatione reorum.

Vide quæst. 18.

De Interrogatione eorumdem q. 19.

De Torturæ.

Licet prælato Regulari per se, aut per alium sibi subditum, quamuis non vrgeat necessitas, Fratrem delinquẽtem moderate verberare causa correctionis, modo in Religione consueto, absq; timore excommunicationis; nunquam tamẽ per laicum familiarem Conuentus; nisi vbi cõsuetudo aliud obtinuerit, alioquin Superior sic corripiens incideret in excommunicationem, a qua non minus quam consuetudo excusare posset error malè intelligendi priuilegia. q. 20. ar. 8.

De Purgatione Canonica.

REgularis cum ſcandalo infamatus poteſt, immo etiam debet ſe purgare; quòd ſi in purgatione defecerit, punietur ſolummodo pœna arbitraria extraordinaria multò mitiori, quàm ſecundum canones deberetur: licet in tali caſu Clericus accuſatus habeatur pro conuicto, & pœnam canonum ſuſtinere debeat. q. 21. ar. 1. & 2.

De modo procedendi in correctione.

QVando debeat Prælatus ſequi in Iudicio rigorem iuris, quando iuſtitiam, vel æquitatem, vide ad longum quæſt. 22.

INCARCERATIO.

DOlendum eſt, pleroſque Iudices Regulares procliuiores eſſe ad capiendum, & incarcerandum ſuos ſubditos, quam par ſit, ſine ſufficienti cognitione commiſſi delicti, cum hoc ſit iniuria irreparabilis, & vltra reum quem cōmittunt, damnum, & iniuriam iniuſtè incarcerato compenſare tenentur, nec liberi ſunt a ſententia canonis Si quis ſuadente,

dente, vt doctè notauit Nauarrus; præsertim in leuibus, & vbi fuga non timetur. to.2.q.23.ar.2.

Pœna perpetui carceris Regulari imponi poteſt ob delictum, cui in ſeculo correſpondet pœna damnationis ad metalla, aut pœna mortis, cùm incarceratio ſit valdè ſupportabilis Religioſo ob flagrantem charitatem Religioſorum omnia neceſſaria ſuppeditantium, & ipſorum carcerum humanitatem. ar. 4.

Regularis negans incarcerato cibum, aut potum, ita vt inde mors ſequatur, fit irregularis: nam non alere eſt necare. Et idem eſt iudicium de illo, qui immanitate carceris, vel ſubtractione rerum neceſſariarum eidem præmaturam necem afferret; nec in hac parte ignorantia excuſat: eſt enim de eo quod debuit ſcire. art. 5.

Licet Clericus ante, & poſt condemnationem ad carcerem fugere poſſit, nō tamen Regularis ob votum obedientiæ, & præceptum de non egrediendo Monaſterio, niſi ſententia foret iniuſta; quia tunc liceret ipſi in conſcientia fugere, ſi abeſſet graue ſcandalum, ſicut & ſi executio iuſtæ ſententiæ eſſet iniuſta; vt ſi v. g. cuſtos carceris deneget neceſſaria ad vitam. art. 6.

Damnatio ad triremes.

IVdices Regulares possūt ex priuilegio Pii V. & aliorum summorum Pontificum, Fratres exutos habitu perpetuo, vel ad tempus ad triremes damnare. qu. 25. art. 1.

Quòd tamen nimium crudele est, & multum abhorrens a benignitate religiosa: vnde Nauarr. Satis (inquit) hoc alienū est a consuetudine D. Aug. Benedict. Bernard. Domin. Francisci, cum sola eiectione a Religione contenti fuisse videantur. art. 2.

De pœnarum reis imponendarum qualitate.

DE qualitatibus pœnarum iniungēdarum Monachis, & Clericis ob diuersa peccata, vide tom. 2. a q. 12. ad 40. inclusiue.

De imperiorum vsu.

LIcet aliquando exigente necessitate Iudici proferre conuitium causa correctionis, modo illud non fuerit contumeliosum, improperando v. g. iam punita, &c. q. 41, art. 2.

IV-

IVRAMENTVM.

Vide Confessarij quoad dispensationem.

REgularis nequit cogi ab Episcopo ad testimonium ferendum in caussis ciuilibus, nisi quando aliter veritas haberi non potest; in criminalibus verò numquam ad hoc compelli potest, nisi a suo proprio Prælato Regulari in causis aliorum fratrum, in quibus pęna sanguinis minimè imponitur, to.2.q.11.art.2. & to.3.q.71.art.1.

Asserunt aliqui, in iudicio Regulari præceptum obedientiæ habere vim iuramenti, vt per illud sufficienter credatur testi etiam non iurato; sicut Sacerti aliquid in verbo Sacerdotis affirmanti creditur. Verum oppositum videtur probabilius, ob plerasque Doctorum authoritates. tom.2. quæst.120. art.3.

IVRISDICTIO.

Vide Abbatissa, Episcopus, Excommunicare, Custos, Commissarius, Generalis, Guardianus, Minister Prouincialis.

PRælati Regulares sunt Ordinarij suorum inferiorum habentes iurisdictionem a iure diuino, quemadmodũ, & Episcopi: vnde opinione Doctorum, sicut & Episcopi omnia illa possunt in suos, quę Papa in vniuersam Ecclesiam, nisi iure Ecclesiastico in aliquibus casibus prohibeantur, tom. 1. quæst. 17. art. 2. & 6. & quæst. 22. art. 10. & quæst. 23. art. 1.

Prouinciales, vtpote assumpti in partem solicitudinis Apostolicæ, habent iurisdictionem quasi Episcopalem in vtroque foro iure communi, & ex priuilegio, quam exercere possunt vbique, cùm nõ habeant territorium, licèt multò decentius sit, illam in Conuentibus suæ prouinciæ exercere. tom. 2. q. 59. art. 1. com. 3. q. 43. art. 2.

Hæc tamẽ iurisdictio respicit tantùm regimen: nam ad Pontificalia minimè se extendit.

Quam-

Quamuis in plerisque maiorem habeant potestatem, quàm Episcopi, v. g. quoad absolutiones, & dispensationes; pro quibus vide tom. 1. q. 20. & verb. Dispensare.

LAICI.

Vide Electio, Infirmi, Iudex.

FRatres Laici, seu Conuersi cùm solemniter promittant tria vota essentialia, secundùm aliquam Regulam a Sede Apostolica approbatam, in manu Prælati eos incorporare valétis, sunt verè Religiosi, & Ecclesiasticæ personæ, tom. 2. q. 123. art. 1.

Promoti tamen ad sacros Ordines, sine licentia Prælati, grauissima pœna sunt plectendi, & tonsura clericali priuandi, art. 3.

Necnon omni vsu Ordinum, & recitatione diuini Officij priuati ad merum statum laicalem reducendi, tom. 1. q. 42. art. 19.

Nullus autem Generali inferior, quãuis sit Commissarius generalis, cum plenitudine potestatis, potest dare laico licentiam transeundi ad Clericatum: nam quantùm ad hoc, eius authoritas li-

limitata est per Leon. X. constitutionem, ibidem.

LECTORES.

Pius V. statuit, vt Lectores Theologiæ, qui quatuor cursus absoluerint, voce actiua, & passiua gaudeant, quam quidem constitutionem reuocauit Gregor. XIII. sed in statutis Vallisoletanis fuit renouata, etiamsi in aliena prouincia docuerint; nec requiritur, quòd duodecim annis continuis doceant, si talis interpolatio vergat in vtilitatem prouinciæ, tom. 2. q. 130. art. 1.

LEGATVS.

Vide Exemptio.

Monachus factus Canonicus, potest esse Legatus Papæ, vel locitenens Legati, Officialis, vel locitenens Officialis Episcopi, & cognoscere de causis, ex decis. Rotæ, tom. 2. quæst. 124. art. 1. & 2.

Legatus conferens beneficium seculare Regulari, non requirit consensum Abbatis, quia censetur cum ipso dispensare, art. 3.

LE-

LEGATVM.

Vide Nouitius, Studium.

LEgatum quodcumque relictum Religiosis valētibus possidere siue per regulam, siue per priuilegium, tenet, to. 2. quæst. 125. art. 1.

Si verò relinquatur Monacho, ea lege, vt sibiipsi, & non Monasterio acquirat, non valet; secus si illa conditto absit, quia tunc censetur esse relictum debito modo, art. 2.

Legatum ea intentione relictum, vt Abbas non possit de eo disponere, non est acceptandum, eo quòd non deceat Religiosum, art. 3.

Regularis cum licentia tacita, aut expressa sui Prælati Conuentualis, acceptare potest legata, & eis vti absq; eo quòd incorporentur communitati, neque id est contra mentem Concil. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 2. art. 4.

Legatum relictum Religioso extra Ordinem fratrum Minorum de Obseruantia, potest Prælatus impendere eo inuito in Conuentus vtilitatem, & tunc nō obligabitur huic magis quàm antea, vel

vel aliis, ſed tenebitur ei dumtaxat neceſſaria ſubminiſtrare ſicut antè; quia nec potuit legatus ius Religionis infringere, nec præſumitur id voluiſſe. Deinde legatum illud incorporatum fuit Conuentui. art. 6.

Si tamen legatum pecuniarium ſit relictum fratri Minori, cuius pecuniæ dominij dictus Ordo eſt incapax, Prælatus eius adminiſtrationem non habebit, ſed debebit illud impendere neceſſitatibus præſentibus aut imminentibus fratris legatarii; & deinde ſi quid ſuperſit, poterit expendere in Conuentus neceſſitates, aut illi renunciare, aliàs diſponeret de re non ſua, ſed legantis. ibi.

Si verò legatum fuerit rei ſecundùm Regulam permiſſæ, cùm illius dominiũ transferatur in ſedem Apoſtolicam, poterit Prælatus conſumere in vtilitatem, aut neceſſitatem Conuentus, nec tenebitur quidquam de ea dare fratri legatario, ſicut in aliis Religionibus de omnibus legatis indifferenter dictum eſt. ibidem.

Legatum factum alicui fratri particulari, niſi apertè ſit intuitu ſanguinis relictum, æquum eſt cenſeri donatum ad pias cauſas, vt ſic gaudeat priuilegiis eiuſmodi legatorum. art. 7.

Conceſſum eſt Prælatis Minorum, vt le-

legata, vel etiam donata per viuentes ad vnum vsum commutent in alium, si absit scandalum executorum, vel dantiũ. Imò permissum est illis mobilia siue immobilia, non obstantibus vltimis voluntatibus legantium, alienare, si eiudens vtilitas conuentus postulet de consensu duarum partium fratrum eiusdem Conuentus. artic. 9. & tom. 1. quæst. 27. articulo 5.

Licèt autem fratres Minores licitè recipiant legatum eorum necessitati correspondens, si tamen illius nulla, vel non æquè magna sit necessitas præsens aut imminens, vt illud totum, vel eius residuum ad alium vsum conuertant, debent ab Ordinario licentiam obtinere tom. 2. q. 126. art. 1.

Relicta in vltimis voluntatibus cum conditione fratribus licita, v. g. vt venundentur, & in fratum necessitates pretiũ conuertatur, valent; & illa, quibus nulla est addita conditio; quia tunc censetur legans voluisse fratribus modo debito subuenire ibidem.

Licèt prædicti fratres Minores ex professione Regulæ incapaces sint redditùum annuorum etiam in vltima voluntate legatorum, nec vlla præscriptione quamuis centum annorum ius ad illos exigendos acquirunt; possunt tamen an-

nua-

nuatim occurrente necessitate petere, & recipere eiusmodi legatum, cùm respectu eorum mera sit eleemosyna, & ciuiliter incerta; tenentur autem hæredes in conscientia illis elargiri, poteftque Episcopus eos cōpellere. Quinimò si legata sint eis facta pro Missis dicendis, potest eorum Syndicus ex statuto Greg. XIII. ea ciuiliter petere art.4.

Sed neque eorum professioni contrarium est legatum annuum relictum pro Ecclesiæ fabrica, vino, cera, oleo, vestimentis, & pro celebratione Missarum: nam eorum mendicitas non tollitur ex eo quòd certum aliquem redditum habeat eorum Ecclesia pro prædictis quæ ad victum, & vestitum Fratrum nō pertinent.art.5.

Legatum factum virgini cum conditione, si nupserit, si filios habuerit, ingredienti Religionem integrum debetur; quia matrimonium illud spirituale non est minùs fauorabile, quàm carnale. tom.2.q.127.art.1.

Et idem dicendum, quamuis exeat si eius iustam causam habeat, & animo profitendi fuerit ingressa; secus autem si vel egressus iusta causa, vel profitendi animus defuerit.art.2.

Legatum factum pauperibus, cæteris paribus potiùs debetur Religiosis, vtpote

te dignioribus; aliàs pauperioribus iudicio Episcopi. Relictum autem Monasterio, non expresso nomine, potiùs Monialium, quàm Monachorum domibus erogandum. art. 3.

LEGITIMA.

Vide Testamentum.

FRatres Minores Conuentuales iuridicè per priuilegia petunt legitimam; sicut etiam succedunt ab intestato, non aliter quàm si essent sæculares. to. 2. quæst. 128. art. 1.

Matri, & auiæ debetur legitima mortuo filio, aut nepote, in bonis, quæ ipsi secum detulerint, quando Religionem professi sunt. art. 2.

LEX.

Vide Declaratio, Studium.

LEx ciuilis inclusa in corpore iuris, quod approbatum est per Põtifices deficiente canone, ligat etiam Clericos, & Regulares, non solum in fauorabilibus,

bus, ſed etiam in ordioſis: vt patet in lege inducente infamiam, &c. Non autem illa quæ extra illud corpus eſt, ſiue ſit localis, ſiue communis, niſi ſpecialiter a Papa approbetur aut conſuetudine mixta Clericorum, Monachorum, & laicorũ vim habeat, vel certè niſi priuilegium contineat: quia Monachi, & Clerici ſunt verè ciues in fauorabilibus. tom. 1. q. 66. art. 1.

Clerici, & Monachi licèt per canones fundatos in iure diuino eximantur a ciuili poteſtate ratione ſuæ dignitatis maioris omni laicali; nõ tamen in quantum ſunt ciues, quia ſic ſubeſſe debent, non præeſſe. Itaque tenentur obedire Regi eos vocanti ad negotium aliàs licitum, atque adeò omnis lex ciuilis concernens bonum commune, aut cauens damnum communitatis, ligat etiam Regulares, non quidem vi legis ciuilis, ſed iuris naturalis. ibid.

Numquam autem eos ligat lex ciuilis, quandocumque cõtrauenit libertati Eccleſiaſticæ, aut canonibus; in quacumque ſit materia, cùm Papæ authoritati magis ſubſint, quàm Principi ſeculari. Imò nec Monachos adſtringit, ſi priuilegio ſibi conceſſo contraueniat. ibid.

Quòd ſi aliquando Monachi aut Clerici comprobentur rei legum ciuilium qui-

quibus subduntur, non possunt trahi ad tribunalia secularia, sed puniendi sunt a Iudice Ecclesiastico aut Regulari, & hoc non necessariò secundùm dispositionem legis, sed iuxta arbitrium Iudicis, & grauitatem materiæ constitutionis violatæ, & scandalum inde exortum. ibidem.

Plura de hac materia prosequitur Author in hac, & 67. quæst.

LIBRI.

Vide Imprimere, Hæresis.

EX Bibliotheca Fratrum Minorum furtim præsumens pro suo vsu librum, aut quaternum surripere, etiamsi Episcopus sit, ipso facto incurrit excommunicationem Papalem. tom. 2. q. 129. art. vnico.

Clemens VIII. prout testatur Reuerendissimus Pater Franciscus a Sosa totius Ordinis Minorum Generalis, reuocauit constitutionem Sixti V. qua statuit pœnam excommunicationis Papalis, & priuationis omnium officiorum, necnon vocis actiuæ, & passiuæ contra Guardianos ante susceptum officium, non facientes diligens inuentarium omnium librorum Bibliothecæ; & contra quos-

quoſcumque fratres quouis prætextu, ex ipſa Bibliotheca libros extrahentes, ſed tantum eos ligari voluit, qui in fraudem Bibliothecæ aliquid ſurripiunt, ibidem.

MAIORATVS.

Vide Hæreditas, Monaſterium, Monachus.

MATRIMONIVM.

Vide Legatum, Nouitius, Profeſſio, Votum.

REgularis matrimoniũ contrahens, tamquam ſuſpectus de hæreſi ab Inquiſitoribus fidei punitur, tom. 3. q. 1. art. 1.

Iam de iure nullum eſt matrimonium a profeſſo, vel profeſſa tacitè, aut expreſsè contractum: eſt enim hic proprius ſolemnitatis votorum effectus; vnde olim erat validum, quando votum Regulare ſimplex tantum cenſebatur, art. 2.

Matrimonium ratum, & non conſummatum, per ſolemnem profeſſionẽ dirimitur, etiam quoad vinculum, ex

Con-

Concil. Trident. Ex hoc non tantùm iure Pontificio, ſed & quaſi naturali, vel etiã (vt ait Scotus, & D. Bonau.) diuino; cùm ſtatus perfectior, vbi nulla intercedit iniuria tertij, iure minùs dignum auferat. art. 4.

Poteſt Summus Pontifex in voto ſolemni continentiæ diſpenſare, cùm ipſa ſolemnitas ſit ab Eccleſia; ſic tamen vt profeſſus virtute huius diſpenſationis contrahens nõ ampliùs remaneat verus Religioſus. art. 5.

Vota Societatis etſi ſimplicia, & conditionata ex parte recipientis, cùm propriè Religioſum efficiant, ex declarat. Greg. XIII. dirimunt etiam Matrimonium. art. 6.

Et idem dicendum de profeſſione caſtitatis emiſſa in Ordine ſancti Ioannis de Malta; non autem in aliis Ordinibus militaribus, quorum profeſſores cõiugalem dumtaxat caſtitatem vouent; vnde ſolùm Clericorum profeſſio, non aliorũ. Matrimonium dirimit. art. 7.

Regulares abſque licẽtia Parochi Matrimonium ſolemnizantes, excommunicatur, a ſolo Papa abſoluendi. quæſt. 2. art. 1.

MENDICITAS.

Vide Communicatio priuilegiorum, Fratres Minores, Pestis.

LIcet peregrinari mendicando causa maioris humilitatis, & patientiæ, etiam non facta bonorum renunciatione, multò magis ea facta, tom. 3. quæst. 3. art. 1.

Nullo præcepto tenetur quis laborare manibus, nisi vt vitet otium vitiosum, & sine vlla tertij iniuria cum suis viuat, ibidem.

Mendicitas Fratrum Minorum, & Prædicatorum licita est, & meritoria, modò non extendat se ad superflua cõquirenda, & bonis operibus corporalem laborem recompenset, art. 2.

Quinimmo ex vi Regulæ ad ipsam mendicitatem tenentur Fratres Minores, cum ob factam bonorum omnium renunciationem hæc sola via illis supersit ad vitam tuendam: quamuis enim iure diuino, aut naturali, aut alio quouis modo, seculares teneantur, & cogi possint, etiam implorato ad hoc a Fratribus officio Iudicis ad vitæ necessaria eis subministranda pro labore, Missis, Concioni-

nibus, &c. ipsi tamen fratres nullam inde certitudinem ciuilem habent, aut habere possunt, art. 3.

Nullo tamen præcepto ostiatim mendicare iubentur, ibid.

Mendicantes in duplici sunt differentia, alii ex Regula, vt sunt soli fratres Minores, qui proinde nihil proprii, etiam in communi, habere possunt; alii ex constitutionibus, & his licitum est aliquid in communi possidere, tom. 2. quæst. 125. art. 1.

MILITARIS ORDO.

Vide Commendatores, Castitas, Eleemosyna, Exemptio quoad seculares, Illegitimus, Immunitas, Interdictum, Ordo militaris, Paupertas, Prælatus.

MINISTER Prouincialis.

Vide Iurisdictio, Electio, Visitatio.

IN electione Ministri Prouincialis potius spectanda videtur canonum, quam Theologiæ notitia; quamuis aliter

ſe res habeat in Epiſcoporum electione; cuius differentiæ ratio eſt, quòd hi ad prædicandum, ille ad regendum præcipuè inſtituatur. tom. 3. quæſt. 34. art. 3.

Ex conceſſ. Apoſtolica habent Miniſtri Fratrum Minorum eandem iuriſdictionem in omnes Sorores Sanctæ Claræ, & Tertiarias, quocumque modo vocentur, quam Protector Ordinis, qui ex Regula proprius eſt earum Superior, habebat: dempto quòd in earum Monaſteria, nec ipſe ingredi, niſi in caſibus permiſſis, nec aliis eam licentiam concedere poteſt. to. 1. q. 17. ar. 8.

Monaſterium eiuſmodi Sororum nouiter erectum non poteſt per Epiſcopum regi, ſine expreſſa licentia Papæ, cùm ipſo facto ſit ſubiectum Miniſtro Prouinciali. art. 9.

Miniſtri iuriſdictio in Sorores eſt ordinaria, quia licèt ſit ex priuilegiis, & commiſſione; iſta tamen priuilegia ſunt perpetua, atque adeò conferunt iuriſdictionem ordinariam, & authoritatem creandi Commiſſarios pro dictis Monialibus viſitandis. art. 10.

MIS-

MISSA.

Vide Altaria, Legata, Parochus.

CLemens V. statuerat olim, vt nullus secularis Missas, aut Exequias præsumeret celebrare in Ecclesia fratrum Minorum, sine eorum consensu; sed id reuocauit Leo X. decernens non solum quòd omnes ibi celebrare possint; sed etiam quòd libenter eos recipere ipsi fratres debeant, tom.3.quæst.4.art.1. Vide Sepultura.

Bonifacius IX. omnibus Ecclesiarum Prælatis seuerè sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda prohibuit, ne quoquo modo Prædicatores impediant a libera Missarum, & quorumcumque officiorum celebratione, oblationumque, & aliorum sibi datorum receptione, ibid.

Fratres Minores possunt ex concessione Leonis Decimi certas Missas sibi commendatas cum aliquibus cærimonijs superstitionem sapientibus, verbi gratia, cum certo numero candelarum, &c. in alias commutare; quod non possunt, vbi tales adiunctiones desunt,

vt bene aduertit Collector Compendij; ac proinde non facilè tunc introducenda commutatio tam respectu Officij, quàm temporis, loci, aut numeri candelarum. art. 2.

Ius commune ex sententia Authoris permittit inchoare Missam duabus horis ante ortum Solis; atque adeò post cõcessionem Pij V. qua potest Generalis fratrum Minorum licentiam facere suis subditis celebrandi per vnam horam ante auroram; & Sixti IV. qua possunt prædicti fratres Minores ante, & post tempus ab Ecclesia statutum celebrare; licitum est illis tribus horis ante ortum Solis inchoare, & totidem post meridiem, rationabili occurrente causa, Missam finire. Sic enim intelligenda sunt priuilegia, vt tantum concedant vltra ius commune, quantum eorum verba sonant. tom. 1. q. 43. art. 1. 2. & 3.

Ex verbis indulti prædicti Leonis X. colligit Author licere Fratribus, præsertim instante necessitate, ante Officium Matutinum recitatum Missam facere. art. 3.

Non abrogauit Conc. Trid. sess. 22. in Decreto de obseruandis, & vitandis in Missa, facultatem prius factam fratribus Minoribus celebrandi in altari portatili, in oratorijs, plateis, & in omni loco hone-

nesto, quamdiu non contradicunt Episcopi; sed his tantum id prohibendi authoritatem concessit, articulo quarto, & quinto.

Non possunt Episcopi præcipere populo, vt in Festis, & Dominicis assistat Missæ parochiali, cùm præcepto de audiendo Sacro satisfaciant seculares in Ecclesiis Regularium: licèt valeat quædam opportuna præcipere, vt quòd Regulares annuncient festa, & ieiunia. Ex Conc. Trid. vbi suprà. art. 7.

Nequeunt fratres Minores post Bullam Pij V. in principio Missalis vti priuilegio, quod priùs habebant, addendi, & minuendi in precibus, & cærimonijs Missalis Romani, nec prætermittere ordinem, & ritum in eodem constitutum, absque rationabili causa; vnde in diebus duplicibus non possunt dicere de Requiem, sed de Officio competenti; & per hoc sufficienter adimplent promissa; in diebus autem semiduplicibus, debent promissum Officium persoluere, quia vtilius, & eius oratio directiùs mouet Deum ad impetrandum, articulo 8. & 9.

Frater acceptans dicere quantitatem Missarum, verbi gratia, Sancti Gregotij, satisfacit dicendo triginta Missas de Officio occurrente. Imò diebus Domini-

cis, & solemnibus, tenetur sequi Officiũ diei, quod non minus prodest defuncto; tunc enim vis directa applicationis, per deuotionem Sancti, & Festi suppletur, art. 10.

Neque cõtinuatio adeò obligat, quin ob decentiam, honestatem, & reuerentiam Sacramenti aliquando prætermitti possit, ibid.

Mos antiquus dicendi Missam de Beata Virgine MARIA in Sabbatho, quando est duplex, derogat iuri; sicut & dicendi de defunctis Feria secunda, pręsertim pro Missa minus principali, articulo 11.

Cum in onerosis nomine Ecclesiæ Collegiatæ, non comprehendatur Monasterium, fit, vt quando præcipitur, quòd dicantur duæ Missæ, vna de Festo, & altera de Feria, sufficiat in Ecclesiis Regularium, vnam facere. Et ita determinatum est in Cærimoniali Ordinis Minorum authoritate Congregationis Generalis Toletani pro Ecclesiis prædicti Ordinis, art. 12.

Abbates, & Generales Ordinum possunt in suis Capitulis generalibus moderari, & minuere numerum Missarum ante Concilium Tridentinum fundatarum; & statuere quidquid ad gloriam Dei magis viderint expediri. Ita Concilium

lium Tridentinum sess. 25. de Reform. cap. 4. Expedit tamen, ne defraudentur benefactores defuncti, speciales fieri sacrificii applicationes, commemorationes, siue etiam collectas pro defunctis, quas nihil vetat etiam in diebus solemnibus addi, art. 13.

MONASTERIVM.

Vide Alienatio, Alimenta, Aedificia, Hæreditas, Paupertas.

AD ingrediendum Monasteria Monialium duo requiruntur, & causa moraliter necessaria, & proprij Superioris licentia in scriptis obtenta; Episcopi quidem pro Monasteriis sibi, vel immediatè Sedi Apostolicæ subiectis, Abbatis verò, aut alterius Regularis Prælati pro exemptis. Potest tamen Superior generalem facultatem committere Abbatissis, vel Monialium Confessariis, vt scilicet in eius absentia pro necessitatibus repentinis ingrediendi aliis licentiam donare valeant; & quamuis non commisisset, liceret Abbatissis

in tali casu ex præsumpta interpretatiua voluntate Superioris Medicos, Chirurgos Carpentarios, & alios, quorum opera repente passim egent Moniales, admittere, tom. 1. q. 46. art. 2.

Nullus Papa inferior authoritatem habet faciendi licentiam ad intranda Monasteria Monialium Sanctæ Claræ sine causa in earum Regula expressa: cũ enim sint strictioris Obseruantiæ, non intendit Concilium Tridentinum eas relaxare. Et cum specialiter fratribus Minoribus talis ingressus inhibeatur, specialis etiam pro ipsis requiritur licentia; adeò vt quamuis Cardinalis, aut Episcopus authoritatem habeant eligendi socios ad intrandum, nequeant prædictos Minores eligere, nisi de illis expresse in licentia mentio habeatur, art. 3.

Superiores sicut causa moraliter rationabili interueniente possunt cum subditis dispensare, ita & cum seipsis, art. 5.

Nam secundum æquitatem necessitas moralis (iudicio peritorum) excusat ab omni præcepto Ecclesiæ, articulo 4.

Possunt Prælati facultatem concedere mulieri generosæ intrandi, & manendi intra septa Monasterij, cum tribus,

aut

aut quatuor puellis, si nequeat in seculo absque suæ famæ dispendio manere: sicut, & intromittendi puellas minores duodecim annis honestæ educationis gratia, ex Concilio Tridentino, sessione 25. de Regular. capit. 22. Quod licet etiam ad Monasteria Sanctæ Claræ, & Conceptionis de iure extendi possit, id tamen iam non est in vsu: nam pro similibus recurritur ad Nuntium Apostolicum, art. 6.

Charitas, aut maior Dei honor est sufficiens causa ad introducendas seculares ancillas pro seruitiis vilioribus Communitatis, aut infirmarum subsidio, intra clausuram non tantum Monialium, quæ non nisi ex præcepto Ecclesiastico obligantur ad clausuram, sed etiam earum, quæ ex Regula, vt sunt Clarissæ, præsertim si Conuersas professas ad supradicta exequenda non soleant admittere. Sed introductę è Monasterijs egredi prohibentur, art. 7.

Plerasque declarationes Cardinalium decernentes quas feminas, & puellas, & quibus de causis recipere, aut non recipere liceat in Monasteria Monialium, quibus solum ex præcepto Ecclesiæ clausura indicitur, vide art. 10.

Pęnam excommunicationis Papæ reseruatæ, priuationis Officiorum, & in-

habilitatis ad alia obtinenda, ipso facto incurrunt tam Moniales præsumentes admittere, quàm aliæ personæ etiam Regulares quæcumque ex præsumptione intrantes in clausuram Monasterii extra casum necessitatis prætextu cuiuscumque licentiæ, quæst.47, articulo primo.

Excusantur tamen qui bona fide, obliuione, aut animi simplicitate, sine præsumptione, & dolo admittunt, aut ingrediuntur, art.2.

Et aduertendum, quòd pœna excommunicationis respiciat quidem omnes præsumentes admittere, aut intrare; sed pœna priuationis officiorum solas Abbatissas, & Superiores Cõuentuum, quocumque nomine appellentur; nõ autem inferiores, & singulares dictorum Conuentuum personas, art.3.

Per Concil. Trid. videtur interdictus ingressus in Monasteria Monialium Sanctæ Claræ Cardinalibus, & Protectori Ordinis: quamuis aliàs fuerit per Regulam proprius earum Superior, art.6.

Nequit etiam Confessor pro renouando Eucharistiæ Sacramento intrare; potest tamen cum socio, indutus Sacerdotalibus pro excipienda Confessione, & Communione danda infirmis, non tantum per modum viatici, sed etiam om-

omnibus iis diebus, quibus ipsæ ex Regula tenentur recipere. Item pro iuuanda iam morti proxima, in die funeris ad exequias celebrandas, & sepulturam aperiendam, etiam pro seculari. art. 4.

Præterea Greg. IX. etiam concessit liberam ingrediendi facultatem Fratrib. earum obsequijs deputatis, pro exercēdo opere, quod commode extra Monasteriũ fieri potest. ibid.

Vrbanus IV. prout continetur in ipsarum Regula, declarauit licere Generali Fratrum Minorum intrare, quãdocumque intus celebrare, aut verbũ Dei proponere voluerit, cum quatuor aut quinque Fratribus. Et Visitatori cum duobus socijs ad tenendum Capitulum, vel aliquid simile agendum, quod munus proprium tangat, & commode de foris fieri non possit, v.g. ad uidendum num clausura periclitetur. art. 7.

Fratres Minores ex speciali concessione Leon. X. inuitati a Prælatis Monialiũ, licite cum eis clausuram ingrediuntur; obtenta tamen licētia Superiorum, si sint subditi. art. 8.

Sub excommunicatione Pij Quinti in Bulla inhibitoria, ne mulieres etiam Ducissę præsumant Monasteria virorum intrare, non comprehenduntur Reginæ, Regum filiæ, & Principessæ, quæ

libe-

liberè id possunt. q.48.artic.1.

Neque Fratres, qui mulieres simplices non exceptas, sine dolo, per inaduertentiam, & ignorantiam admittunt. ibidem.

Possunt quælibet mulieres claustra Regularium ingredi pro Missa, Concione, alijsque diuinis Officiis audiendis, si aliunde in Ecclesiam commodus non pateat accessus. Item quando fiunt Processiones, aut fidelium cadauera ibi sepeliuntur, vel pro eis fiunt suffragia; neque necesse est statim iis finitis eas expellere, sed tantum tempore moraliter congruo: attendant tamen Superiores, ne alias officinas interiores ingrediantur: nec mandent, vt aliqua Processio extraordinaria fiat, vt illius occasione possint mulieres dicta loca intrare; quo tamen casu, neque ab ingredientibus, neque ab admittentibus excommunicationis, aut prædictæ constitutionis pœna incurreretur. art.3.

Inspecta iuris communis dispositione, Regulares Canonici habitantes intra claustrum non possunt vllo modo vti seruitio mulierum, sicut nec alij Religiosi; sed bene si habitēt domos seiunctas claustro contiguas. ar.4.

Moniales, etiam Tertiariæ, & earum Prælati, contrauenientes Bullæ Pij V. vinculo

culo excommunicationis Papalis ipso facto innodantur, priuanturque dignitatibus, & officiis obtentis, & ad in posterũ obtinenda inhabilitantur. Eadem etiam excommunicatione feriuntur sic egressarum fautores, & receptatores in hoc negotio. q.49.ar.7.

Eugenius IV. pręcepit, vt porta clausuræ Monialium duplici sera obfirmetur, vna intus, cuius clauem habeat Abbatissa, altera deforis, cuius clauem conseruet Superior, aut Confessor. Et Gregorius Decimustertius, in sua constitutione prohibuit, ne habeant ostium, per quod ex Monasterio veniant ad ecclesiam communem secularibus, articulo 1.& 7.

Possunt Prælati in certis casibus in iure, & Regula Sanctæ Claræ expressis, dare licentiam egrediẽdi; hi autem sunt tres præcipui. Primus est, ineuitabilis, & periculosa necessitas, vt mortis violenter imminentis ab igne, aqua, hostium incursu, & similibus casibus, in quibus etiam tenentur Moniales egredi cum licentia præsumpta, si absit Superior, & periculum sit in mora, ne sui ipsius interfectrices dicantur. At si periculum mortis sit ex ęgritudine, cum talis mors non sit violenta, sed naturalis, non tenentur egredi, neque prælati licentiam facere, præsertim

ſertim eis, quæ ſunt profeſſæ clauſuram. Secundus eſt lepræ, epidimiæ, & ſimilium morborum nociuorum toti communitati. Tertius, quando vel in totum vel in partem eſſent transferendæ in aliud Monaſterium reformandum, aut de nouo erigendum. Et quandocumque cum licentia egrediuntur, debent alibi in loco opportuno manere incluſę ad tempus ſufficiens tantum, articul. 2. 3. 4. & 5.

Quilibet Monachus de iure communi licitè egreditur Monaſterium cum facultate Superioris, etiam conuentualis, cum cauſa ab ipſo Superiore iudicanda; de iure autem ſpeciali maior cauſa requiritur, verbi gratia, pro Carthuſianis. Erit autem peccatum mortale frangere clauſuram, quæ de iure communi Regulares obligat, quando cũ contemptu Regulæ, profeſſionis, & tranſgreſſione præcepti ſpecialis Superioris, notabili ſcandalo, aut dãno notabili, Monaſterij clauſura violatur, alias non. q. 50. art. 1. Excuſatur tamen a culpa mortali, qui accederet ad Superiorem, quaſi appellando a grauaminibus ſibi illatis a ſuis Prælatis inferioribus, cum propria defenſio ſit de iure naturali. art. 2. & q. 29. art. 2. & q. 30. art. 3.

Pius V. ſtatuit, vt in vnaquaque pro-

uincia Fratrum Minorum de Obſeruantia ſint ad minus duo Monaſteria Recollecta, ex quibus Prouincialis Fratres extrahere nequeat abſque cauſa. tom. 2. q.50.art.11.

Monaſteria etiam exempta, ſunt territorij Epiſcopi, non Prælati Regularis, vnde ſine eius licentia ædificari nequeunt; hinc eſt, quod Epiſcopus in Proceſſione ingrediens Monaſterium etiam exemptum, debet præcedere Prælatum, licet ſit Generalis totius Ordinis. tom. 2. q. 60. art. 1.

Monaſteria poſſidentia bona in communi ea infeudare poſſunt, ſuntque capacia vaſſallorum, & iuriſdictionis. to. 2. q.79. art. 12. Vide Vaſſalli,

Monaſterium per fictionem iuris, pietatem, & fauorem Religionis intendentis, habetur loco filij. q.78. art. 4.

Monaſterium ſuccedens in feudo poteſt conueniri coram domino feudi in cauſa feudali, tam ſuper proprietate, quā ſuper poſſeſſione, quia hac cauſa eſt ciuilis; non autem in cauſa criminali, aut ciuili ex delicto proueniente: hæc enim debet remitti ad Iudicem Regularē ipſius Monaſterij, vt tradunt Innocent. & alii. In cauſa autem maioratus nuſquam ad Iudicem ſecularem trahi poteſt. q. 63. artic. 10.

Ne-

Neque conueniri coram Iudice ſeculari, niſi in temporalibus, in quibus licitè reconuenitur coram eo ſeculari, coram quo alium ipſe conuenit. art. 11.

Et pro oſtenſione teſtamenti, in quo Monaſterium a laico hæres inſtituitur, ſi v. g. uult ſe opponere, & contradicere teſtamanto. art. 12.

Ad tollendos ſcrupulos Leo X. declarauit fratres Minores poſſe habitare ſumptuoſa Monaſteria iam conſtructa, quæ etiam Clemens V. inhibuerat ſub excommunicatione relinqui, ſine licentia Sedis Apoſtolicæ. tom. tertio, quæſt. 5. articu. 5.

Fratres deputati ſeruitio Monaſteriorum Sanctæ Claræ nequeunt habere adminiſtrationem temporalium, quorum ſunt incapaces; ſed tantum ſpiritualium. art. 2.

Bona Monaſterij deſtructi ſunt transferenda ad illud, ad quod Monachi ſunt translati. art. 4. & 6.

MONACHVS.

MOnachi nomen ſolitariũ, & quid triſte ſignificat: unde ius quoſdã reos cum Monachis in Monaſterium detrudit, quaſi in honeſtum carcerem, & locum pœnitentiæ. tom. 2. q. 23. art. 7.

Mo-

Monachatus nõ præsupponit Clericatum, aut idoneitatem ad illud, ut supponit status Canonicorum Regularium. q. 52. art. 5.

Cœpit Monachatus, quando olim cœperunt aliqui solitariam uitam agere, qui postea in Congregationem se collegerũt a consortio hominum separatam, nunquam tamen potuerunt Iudicem ordinarium super se constituere, licet eorum Abbas semper habuerit potestatem in eos quoad Regulæ obseruantiam. Vnde antiquitus omnes Religiosi, etiam qui modo sunt exempti, subdebantur nõ minus quam alii Clerici Episcopis, qui erãt ueluti Generales in suis Diœcesibus. qu. 64. art. 1.

Monachus ualens aliquid in communi possidere, mortuus quidem reputatur morte ciuili, sed secundum quid tantũ, scilicet quoad ea quæ in iure exprimuntur, unde non perdit ius acquirendi, nec pristinam nobilitatem respectu secularium, retinet etiam ad uitam maioratum, non autem Marchionatum, Comitatum, &c. quæstione 79. art. 12.

MO-

MONIALIS.

Vide Illegitimus, Minister Prouincialis, Monasterium, Paupertas, Protector, Statutum.

EVgenius IV. concessit Monialibus primæ Regulæ Sanctæ Claræ, quæ alias Collectaneæ dicuntur, vt non teneātur incedere nudis pedibus, sed possint deferre eas quę nomine calceamētorum non censentur, atque etiam, cum opportunum fuerit, calceamenta. Item quod Generales, & Prouinciales Fratrum Minorum Obseruantiæ habeant cum Discretorum consilio facultatem dispensandi cum pręfatis Monialibus tam in cibis, quam in silentio, & quibuscumque aliis præceptis, quæ in earum Regula continentur. Voluit denique, & declarauit, quod in nullius præceptorum Primæ Regulæ Sanctæ Claræ transgressione, præterquam eorum quatuor, quæ concernunt principalia vota, scilicet obedientiæ, paupertatis, castitatis, & clausuræ, ac super electione Abbatissæ, & eius depositione, peccatum mortale præfatæ Moniales incurrant. tom. 3. q. 6. art. 4.

Et Sixtus IV. prædictis cõcessit, quod possint absolui a Ministris, seu Visitatoribus, & suis Confessoribus, ab omnibus criminibus pœnis, & censuris etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, quoties opus fuerit, & quod ipsæ, & earum Nouitiæ possint promereri omnes Indulgentias almæ vrbis, visitando suas Ecclesias. ibidem.

Et his omnibus priuilegiis Collectaneis indultis etiam communicant Vrbanistæ sub cura Fratrum Minorum Obseruentiæ viuentes. Ex concess. Sixti V. ibidem.

Clarissæ ex priuilegio Clementis VII. licitè reseruant in suo choro sacram Eucharistiam. Et Leo X. tam illis, quam Sororibus Conceptionis Beatæ Mariæ, & tertii Ordinis S. Francisci permisit, vt præcepto Regulæ de percipiendo sanctissimo Sacramento satisfaciant, per aliquot dies anteponendo, vel postponendo, dum tamen illud in fraudem non faciant. art. 5.

Prædictis etiam, necnon Fratribus, qui, vel quæ propter imperitiam nequeunt dicere officium diuinum, concessit Clemens VII. vt ex iudicio, & licentia Prælati, Confessoris, vel Abbatissæ ipsarum, recãitdo officium laicis commune, satisfaciant obligationi. Et Leo X.

de-

decreuit, non ſemper teneri ipſas Moniales, etiam ſanas, officium in choro perſoluere, ſed hoc diſcretioni Abbatiſſarū commiſit. ar.6.

Moniales debent procurare, vt in ſuo Conuentu quotidie dicatur Miſſa Conuentualis, ſi commodè poſſit, eamque, ſi de eleemoſynis viuant, viuis & defunctis applicare. ar.7. & 8.

MVLIERES.

HOneſtis quibuſdā mulieribus poſſunt Mendicantes dare mantellum griſeum, aut alium ſui Ordinis habitum Regularem: & hæ, manentes in ſuis domibus particularibus, emiſſo, vel non emiſſo voto continentiæ, gaudent omnibus priuilegiis Fratrum quoad abſolutiones, & indulgentias, ſed non quoad exemptiones. In Ordine tamen Minorum limitatus eſt vſus concedendi ſimilem habitum, in conſtitutione generali Toletana, ita vt ſine licentia Generalis, aut Commiſſarii, dari nequeat, tom. 3. quæſtio 7. articulo primo, & ſecundo.

NO-

NOTARIVS.

Vide Iudex.

SVperiores Regulares, quibus conuenit aliquos processus fulminare, iuridice creant ad certum tempus, & certa negotia Notarios, non possunt tamen perpetuos, præcipuè pro causis, quæ extra Ordinem deciduntur. Sed Mendicantes virtute priuilegii a Pio V. Fratribus Prædicatoribus concessi, possunt plures sui Ordinis fratres instituere Notarios publicos, pro intimandis mandatis, & rescriptis Apostolicis, publicam, vel priuatam Ordinis vtilitatem concernentibus, & his tanta debet haberi fides in iudicio, & extra, quanta Notariis publicis creatis a sua Sanctitate, Rege, aut Imperatore. tom. 3. q. 8. ar. 1.

NOVITIVS

Quoad receptionem.

Vide Priuilegium, *Professio, Reseruatio casuum, Sepultura.*

REceptio Nouitiorum in Ordine Minorum pertinet ad Ministros Prouin-

uinciales; nō autem ad eorum Vicarios, nisi eis expresse fuerit commissa, sicut eis, & aliis committi potest, ex declaratione Nicolai III. eaque Prouincialium potestas a Ministro Generali restringibilis est. Quod & uerum est in aliis Ordinibus ex iure, nisi aliud eorum statuta decernant. to. 3. q. 9. ar. 1.

In Ordine Sanctæ Claræ, Nouitiarū ad religionem, vel professionē receptio ad solum Prouincialem, aut Visitatorem pertinet; in aliis autem, ad earum Superiores. ar. 2.

De examine.

EXamen necessarium ad Nouitiorum receptionem secundum constitutiones vniuscuiusque Ordinis olim Sixtus V. mandauit fieri, & approbari ante vestitionem: sed Gregor. XIII. pro Ordinibus Monachalibus, in quibus est perpepetua filiatio, ad summariam inquisitionem restrinxit, ad quam vnus testis sufficit; ita tamen vt plenaria fieret ante professionem.

Clemens autem VIII. ne aliqui deterrerentur ab ingressu propter illam præuiam examinationem, concessit Ordini Prædicatorum, & per communicationē aliis, vt ad vestitionē sufficiat iura-

mentum

mentum ipsius Nouitij de conditionibus necessarijs, q. 10 art. 1.

Quomodo examen eiusmodi sit faciendum tempore Nouitiatus a Prouinciali, & quatuor Definitoribus, vel a Guardiano, & quatuor Discretis loci Nouitiatus, si eis commiserit Minister Prouincialis, vide art. 2.

De his autem ex constit. Sixti V. sunt examinandi. 1. de Legitimatione. 2. de commissione homicidii, furti, latrocinii, & similium criminum. 3. de ingenti grauamine æris alieni supra vires facultatum suarum. & 4. de obligatione reddendorum ratiociniorum, art. 3.

Vnde prædictus Summus Pontifex fecit valde rigorosam constitutionem contra fratres temerè, non ex simplicitate, aut ignorantia admittentes ad Ordinem illegitimos, criminosos, & debitis, & ratiociniis reddendis obnoxios: illos censuris subiiciens, quocumque pietatis, aut inordinatæ charitatis intuitu procedant; & sic receptorum professio irritatur, q. 54. art. 6. in fine.

Sed eam constitutionem modificarunt, & ad terminos iuris communis saltem quoad aliqua reduxerunt Gregor. XIV. & Clem. VIII. ita vt iam valida sit professio omnium illegitimorū, incestuosorum, & sacrilegorum, modò

M eorum

eorum Pater non ſit eiuſdem Monaſterij Monachus, & tot eis ſuffragētur merita, vt defectum natalium ſuppleant: & licèt admittentes aliquos ex illis non adeò præſtantes, vt eorum conditio defectum natalium suppleat, peccent; nullam tamen incurrunt cenſuram, nec eorum profeſſio irritatur: ſicut irritabatur antea etiam quoad filios naturales. ibidem, & qu.10.art.4 & 5.

Profeſſio homicidæ, & criminoſorū iure irritatur, ſi ante ingreſſum Iudex ſecularis proceſſum inchoarat, ſiue per viam accuſationis, ſiue inquiſitionis: ſecus ſi poſt ingreſſum, vel ſi plane abſolutus fuerat. art.7.

Qui vouit Religionem ante commiſſum crimen, nec potuit votum implere, etiam poſt incœptum proceſſum, poteſt fieri Religioſus; & ei id iuramento aſſerenti credendum eſt. art.8.

Grauatus ære alieno ſupra vires facultatum ſuarum, ſi ad ſoluenda debita ſua lucrari poſſit ſua induſtria, viribus, arte, vel alio honeſto munere, neque licitè, neque validè profitetur; ſi tamen verè impotens ſit ad ſoluendum per infortuniū, cedendo bonis ſatisfacit; ſicut, & ſi creditores tam rigoroſi eſſent, vt eum in carcerem coniicerent, in quo lucrari nō poſſet pro ſolutione facienda. art.9.

Qui

Qui virginem ſpe futuri matrimonij decepit, tenetur ſatisfacere eandem dotando ſecundum illius conditionem. priuſquam ingrediatur. ibid.

Iſlandenſes, qui vt admittantur in certa collegia, iurant ſe poſt tot annos ituros in Angliam, Iſlandiam, &c. & fidem prædicaturos, non obſtante iuramento, poſſunt fieri Religioſi, articulo 10.

Obnoxius reddēdis ratiociniis ex adminiſtratione Reip. vel priuatæ perſonæ, ſi inde lis, aut moleſtia illata, aut probabiliter inferenda ſit, eſt de iure incapax profeſſionis, art. 11.

Hoc examen, & informatio ſuper prædictis defectibus non requiritur in minorib. ſexdecim annis; nec in iis qui a ſua patria longiſſimè diſtant; nec denique in Religioſis migrantibus ad alium Ordinem, aut in Nouitiis Monialium, art. 3.

De qualitate.

Vide Deſcendentia, Illegitimus.

STatutum prohibēs recipi neophytos ad Religionem non inualidat profeſſionem, niſi ſit Apoſtolica authoritate

confirmatum; quia aliàs esset contra ius commune, atq; adeò non esset validum. Iustum est tamen illud, quod præcipit expellere descendentes ex Iudæis, & Saracenis, iustis id causis exigentibus, & non odio generis, etsi non fiat authoritate Apostolica; quamquam valeat eorum professio facta, q. 11. art. 1.

In Ordinibus Minorum, & Minimorum, ex declarationibus Pauli III. & Gregor. XIII. profiteri non possunt, qui descendunt ex Iudæis, Saracenis, aut hæreticis, quorum ascendentium parentum corpora, aut statuæ vsque ad quartam generationem inclusiuè, in vindictam fidei concremata sunt. Et in Ordine Minorum, etiam illi, qui nouiter fidem susceperunt, art. 4.

De ætate.

IVuenes adhuc impuberes, qui non possunt per ætatem statim profiteri finito anno, ad Religionem admitti alii probant, alii melius improbant, ponderata iuuenum huius temporis malitia. Certum est tamen posse eiusmodi Nouitios, & Nouitias a parentibus, & tutoribus extrahi, antequam ad annos pubertatis peruenerint, qui sunt quatuordecim in filiis, in filiabus duodecim

com-

complett, quæst.13. artic.1.

Puellæ minores duodecim annis,cõsentientibus parentibus, ac tutoribus, non autem iisdem repugnantibus, recipi possunt,non vt Nouitiæ, sed vt puellæ deuotæ educationis gratia, licet habitum aliquem Regularem ferant; neque id prohibet Concil.Trid.sess.25. de Regular.cap.17.art.2.

Senes recipere ob multas causas non decet; absolutè tamen licita est eorum receptio, præsertim si magna inde populi ædificatio sequatur, art.3.

De vxoratis.

MAritus,qui sine licentia vxoris Religionem ingreditur, reuocari potest,nisi probet adulteram;item si vi, vel metu consentiat; secus est,si sponte anus consenserit; aut iuuenis castitatis votum emiserit. Si tamen iuuenis absque tali voto simpliciter consenserit,potest Episcopus maritum compellere, ad cohabitandum cum ea, quæst.13. articulo 1.

Quin etiam si sine licentia vxoris se, & sua bona Monasterio tradiderit,& reuocetur, prædicta bona erunt restituenda,ibid.

Vxor dans simpliciter marito licentiã,

non censetur ipso facto vouisse castitatem, quia præsumitur nescia iuris; secus si esset ante edocta, quia tunc censeretur votum conditionale emisisse, v.g. si maritus profiteretur, art. 2.

Maritus reuocatus ab vxore post professionem ipsa contradicente emissam, post mortē vxoris tenetur redire. Quòd si rursus contraxerit, tenet quidem matrimonium, sed peccabit, nec tenebitur redire, secus si non contradixerit, art. 3.

Marito Nouitio existente contra voluntatem vxoris, potest etiam ipsa ingredi Monasterium contra consensum illius, nec poterit ab eo reuocari, nisi semel egressus cum illa cohabitarit: tunc enim illo non consentiente minimè licebit illi ingredi, ibid.

Sponsa ante consummatum matrimonium Religionem intrans, ante Concil. Trid. intra duos menses poterat emittere professionem; at post illud nequit: est enim expectanda ætas sexdecim annorum, & annus probationis, ante quem elapsum professio esset irrita, articulo 4.

De

De Libertate.

LIcet laudabile sit inducere ad Religionem reformatam, non tamen inducere ad vouendum Religionis ingressum, ob periculum communiter inde nasci solitum, q.14.art.1.

Ex Conc. Trident. anathematizantur, qui mulierem cogunt ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum, vel ad professionem emittēdam, & similiter qui ea facere volentem sine iusta causa impediunt. Quæ intelligenda sunt effectu secuto, art.3.

Qui autem cogit virum ad illa vi, fraude, aut importunis precibus, licet peccet, non tamen excommunicatur; sed bene excommunicationem Papalem incurrunt, qui impediunt ingressum, aut iam indutos extrahunt, vel eos recipientibus iniuriam irrogant; dum tamen non destiterint a prædictis, postquam indulti Eugenii IV. facti Benedictinis notitiam habuerint.art.3.

Nouitius simoniacè receptus, vbi sciuerit se ob donum receptum, tenetur habitū dimittere: nam Prælatus etiamsi prædicto dono secundario dumtaxat fuerit motus, nihilominus in foro fori simoniacus censebitur; quamuis si illud

tanquam eleemosynam principaliter propter Deum oblatam receperit, foro conscientiæ sit tutus, licèt minùs principaliter respectum habuisset ad habitus dationem, tom. 3. q. 63. art. 2.

Auertens iuuenem a Religione, vel iam professum extrahens, licèt grauiter peccet, non tenetur tamen de præcepto se, aut alium dare Religioni, cùm plenissima libertas ad vouendum requiratur. art. 4.

In illis tantùm locis sunt Nouitii educandi, in quibus viget obseruantia Regularis; vnde peccant inducentes aliquem ad Religionem, vbi essentialia Regulæ non seruantur, quamuis Ecclesia eam toleret, ad vitandum maius malũ. Ita Caiet. art. 5.

De anno probationis.

SEcundùm iura antiqua masculus cõpleto 14. ætatis anno, mulier 12. ad professionem admittebantur; & ante annum probationis in Religione expletum, accedente Nouitii voluntate, & iusta causa interueniente cum consensu Prælati, & Communitatis. Sed post Concilium Tridentinum id non licet ante annum probationis expletum, & 16. suæ ætatis; alias irrita est professio. q. 19. art. 1.

An-

Annus Nouitiatus computandus est de momento ad momentum, cùm sit materia fauorabilis; vnde profiteri potest ipso die quo annus finitur. art. 4.

Neque intelligendus est iste annus esse solaris, scilicet 365. dierum, & 6. horarũ; sed ciuilis: vnde in anno Bissextili duo dies pro vno habentur. art. 5.

Concessum est a Pio V. Monialibus Sancti Dominici, vt Nouitia iudicio Medici statim moritura, pro sua consolatione, & vtilitate spirituali ante annũ completum probationis, modò ætatem sufficientem habeat, profiteri possit in manibus Priorissæ, & lucrari indulgentiam plenariam. Quæ concessio omnino valida est: saltem quoad forum consciẽtiæ. Eiusmodi tamen Nouitiæ defunctæ nequit succedere Monasterium, sed eius parentes, qui ab intestato veniunt; quia est in fauorem spiritualem Nouitiæ, non in præiudicium eorum qui veniunt ab intestato. art. 6.

Nemini licet renunciare iuri anni probationis, & profiteri; cùm sit ius publicum, cui nemo renunciare potest, articulo 7.

Annus iste iure communi debet esse continuus, & non interpolatus, quamuis licitè interrumpatur ex priuilegio Iulij Secundi si Superior id iudicet expedire;

quod non videtur abstulisse Conc. Trid. Et licèt in Ordine Minorum constitutiones Toletanæ id fieri prohibeant; non tamen intendunt vsum dicti priuilegij tollere: vnde iusta exigente causa poterit Prouincialis in iis statutis dispensare; quod tamen rarissimè, aut certè nunquam est faciendum. art. 8.

De essentia Nouitiatus est, toto anno gestare habitum Regularem. art. 9.

Non tamen semper manere intra claustrum, modò egrediatur aut maneat de licentia sui Superioris. Quod intellige de viris: non autem de Monialibus, quæ si egrederentur, non satis experirentur rigorem Ordinis, qui maximè in clausura consistit. art. 10.

Regularis professus transiens ad aliũ Ordinem, debet in eo facere annũ probationis: nam priuilegium Leonis X. contrarium permittentis, iam per non vsum periit. art. 11.

Recipientes ad professionem Nouitium ante completum annum probationis, excommunicantur, nec valet eius professio. Et eadem censura innodantur illi, qui toto illo anno impediunt, ne liberè transeat ad alium Ordinem, nisi maior 16. ann. professionem expressam aut tacitam fecerit. art. 12.

De Dispensatione bonorum. Vide Bona, Donare, Dos.

COncilium Tridentinum sessione 25. de Regul. cap. 16. solùm annullat obligationem inter viuos, & renunciationem bonorum intuitu Religionis factam ante ingressum; vel tempore Nouitiatus ante completũ 10. mensem, quia hi contractus statim priuantes Nouitium bonis, possent postea minuere libertatem; potest tamen ipse Nouitius causa mortis testamentum condere, & dare ante decimus mẽsem, imò, & ante ingressum. quæstione 16. articulo primo.

Testamentum factum ante Religionis ingressum ab eo, qui nihil cogitauit de tali ingressu, secuta professione rumpitur quoad legitimam portionem Monasterio competentem; secus est, si cogitauit, & scienter nihil reliquit Monasterio, nec ante professionem animum mutauit. art. 2.

Iam professus in quocumque Ordine nequit, ne quidem in fauorem Religionis, testamentum ante professionem cõditum mutare. art. 3.

Nouitius habens peculium aduentitium,

Nouitius habens peculium aduentitium, cuius vsusfructus est patris, & proprietas filij, nullam habet de eo disponendi quoad vsum fructum potestatem; potest tamen relinquendo patri proprietatem, illi grauamen imponere. ar. 4.

Nouitius in Ordine Minorum non potest disponere de legato annuo sibi ad alimenta relicto, cum non debeatur tale legatum ante diem præfixum, nec remaneat capax illius post professionem; in aliis autem Ordinibus, in quibus Monasterium capax illius die secuto succedit, aliter sentiendem; sicut & si annui redditus non legentur pro alimentis in singulos annos, sed diuidantur a testatore, exonerandi hæredis gratia. Et idem est iudicium de usufructu, cuius liberam dispositionem habet ubique Nouitius, cũ sit uerum ius acquisitum. art. 5.

Nouitij, cum non sint verè Religiosi, nec pro talibus habeantur, non subijciuntur pœnis, aut reseruationi casuum. tom. 1. quæst. 21. articulo vndecimo.

OBE-

OBEDIENTIA.

Vide Abbatissa, Beneficium, Clausura, Episcopus, Exemptio quoad Superiores, Pestis, *Votum.*

OBedientia, secundum D. Thom. est virtus moralis promptam reddens voluntatem, ad implendum volũtatem præcipientis. tom. 3, q 19. art. 1.

Obligat in actibus exterioribus, & quibusdã interioribus, qui subsunt exterioribus, v. g. Prælato pręcipienti, vt celebrans applicet talibus Missam, tenetur inferior parere art. 2.

Nemo tenetur obedire in his quæ nullo modo pertinent ad Obseruantiam Regularem; dummodo non contemnat Superiorem, ideſt, non omittat obedire, ex eo quod non vult ei subiectionem prę ſtare. art. 3.

Prælato præcipienti rem per se licitã, tenetur subditus obedire, etiamsi dubitet, an Superior possit id præcipere; & multò magis quando scit Superiorem posse quidem id pręcipere, sed dubitat an ipse in hoc teneatur ei obedire, articulo 4.

Non

Non tamen si talis obedientia adferat subdito, aut alteri periculum, vel notabile præiudicium temporale, seu spirituale, in personis, rebus, honore, &cet. ibidem.

Obediens in his, quæ scit. vel probabiliter dubitat esse mortalia, certus interim quod cessando a tali opere præcepto nõ peccaret, peccat obediendo, quia agit contra conscienriam: secus est, si vtrimque dubitaret de peccato, quia tunc vitandum esset maius malum. ar. 5.

Quando vtrimque par est dubium, & æquale periculum, deponenda est conscientia, & obediendum, quia hoc est securius, vt expresse declarauit Leo X. & in quodam nostri Ordinis Decreto habetur, quòd in omnibus dubiis tenentur subditi obedire. ar. 6.

Probabile est, fratres Minores missos a Superioribus ad Indos non teneri, cũ Regula dicat: Si qui voluerint; & quia talis obedientia est molestissima, plena periculo corporis, & animæ; aliud est de Iesuitis, qui ad similes peregrinationes speciali se voto obligant. art. 7.

Regularis etiam præcipiente Superiore, non tenetur Episcopatum acceptare, cum ille status excedat obseruantiam promissam; in his tamen casibus summo Pontifici obediendum, vtpote

cui

cui cura vniuersalis Ecclesiæ incumbit. art. 8.

OBLATIO.

NOn possunt Episcopi, aut alii Ecclesiarum Prælati sibi, aut suis Clericis applicare oblationes, quæ fiunt in Ecclesiis Mendicantium, sub excommunicatione lata a Bonifacio in fauorem Prædicatorum. tom. 3. q. 20. art. 1.

OBLATVS.

Vide Communicatio priuilegiorum, Testamentum, Votum.

ILle dicitur Oblatus in omni Religione, qui se, suaque offert dono perpetuo, sed non profitetur Regulam, nec habitum suscipit, & talis non est Religiosus, etsi fecerit Abbati votum obedientiæ, castitatis, & paupertatis, quia non facit solemniter secundum Regulam aliquam Monachalem, nec incorporatur Religioni, to. 3. q. 21. ar. 1.

Licet oblati offerantur, seu præsententur Religioni per illam sui donationem, possunt tamen ad aliam Religionē, etiam inuito Superiore, transire; quia non

non intenderunt se aliter obligare, articulo 1.

Tales Oblati, cùm sint personæ priuilegiatæ, vt alij Ecclesiastici, gaudent, quoad absolutiones, & indulgentias, priuilegiis fratrum Ordinis cui donantur, sicut & Pinzocheræ, seu Mantelatæ. art. 3.

Oblati deferentes habitum Regularem, aut Clericalem, si scilicet se Ecclesiæ seculari obtulerint, honeste viuentes sub obedientia Superioris, & diuinis obsequiis insistentes, etiam dum cum vxoribus habitant, gaudent priuilegio fori adinstar Acolythorum. ar. 4.

OFFICIVM Ordinis.

Officium in Ordine, est administratio sine præeminentia; vt Sacrista.

Præpositura, est munus præcedendi.

Personatus, est præeminentia, sine iurisdictione, vt Diffinitoriatus.

Dignitas, est administratio cum iurisdictione, vt Guardianatus. tom. 1. q. 23. art. 9.

Officiis Vicarii Conuentus sub Guardiano, Magistri Nouitiorum, & Confes-

sarij

ſarij Monialium, annexa eſt tantum iuriſdictio delegata. q.13. art.20. Vide Vicarius.

Regularis priuari poteſt ſua Prælatione per ſententiam Iudicis propter aliquod delictum, quod licet non ſit expreſſum in iure, eſt tamen adeo graue in Religione, vt arbitrio grauium Religioſorum tali ſit pœna plectendum. tom.2. q.26.ar.2.

Ordinum Mendicantium origo.

LIcet omnes Religiones, quæ viuunt ex eleemoſynis ſecundum etymologiam vocabuli, poſſint dici Mendicantes: illæ tamen, quæ ab initio hoc ſibi nomen vendicarunt, ſunt quatuor, ſcilicet Ordo Prædicatorum, Beati Franciſci, Eremitarum Diui Auguſtini, & Carmelitarum, qui proprie, & principaliter Mendicantes appellantur; quamuis aliqui eorum bona ſtabilia in communi poſſideant. Et his adiuncti ſunt per conſtitutiones Apoſtolicas, Ordo Minimorum, Seruorum B. Mariæ, Ieſuatorum Sancti Hieronymi, & Societatis IESV. tom.1.q.2.ar.1.

Ordo Prædicatorum initium habuit a B.Dominico, qui ſuæ Regulæ approbationem obtinuit circa annum Do. 1216.

Ex

mo Duce Guasconiæ circa annum 1157. a quo diu dicti Guilielmitæ: sed deinde reformatus per quemdam Ioannem cognomento Bonum in Italia, ab Alexandro IV. confirmatus est sub nomine Eremitarum Sancti Augustini. Duæ sunt in eo Congregationes, Conuentualium, & Obseruantium. art. 4.

Ordinis Carmelitarum Authores fuerunt deuoti quidam in monte Carmeli Beatam Virginem præcipuo honore colentes, quibus Ioannes Patriarcha Hierosolymitanus viuendi Regulam conscripsit; sed anno 1110. Albertus similiter Patriarcha Gierosolymitanus aliam eis cōmodiorem contexuit, quam Honorius III. confirmauit; & postea Eugen. IV. aliquantum moderauit, præsertim quoad abstinentiam carnium. Hodie etiam diuisus est prædictus Ordo in Conuentuales, & Obseruantes; ex qua demum Obseruantia quidam vere zelatores anno 1558. primam Regulæ Obseruantiam impetrarunt a Gregor. XIII. sub nomine Fratrum Discalciatorum, degentes tamē semper sub obedientia Prouincialis de communi Obseruantia; sed Clem. VIII. eis Generalem dedit ab omni alio independentem. art. 5.

Ordo Seruorum B. Mariæ a septem nobilissimis viris Florentinis in monte Se-

cet militent sub Regula Sancti Augustini (quia eum præcipuum patronum elegerunt, ex concessione Alexandri VI. qui eos vocari præcepit Fratres Iesuatos Sancti Hieronymi. Exercent se maxime in visitandis infirmis, & aliis manualibus operibus, ad vitandum otium. artic.8.

Ordini Iesuitarum initium dedit Beatus Pater Ignatius, suscitatus a Deo in adiutorium sanctæ suæ Ecclesiæ contra Lutheranos. In hoc Ordine, alii sunt solemniter professi, qui propriè, & irreuocabiliter sunt Religiosi, & Mendicantes; alij Scholares, qui simplicia dumtaxat vota emiserunt; de quibus dubium relinquitur; an sint de Congregationis corpore, & per consequens sint Mendicantes. art.9.

Ordinum non Mendicantium origo.

ORdo Canonicorum Regularium initium habuit ab ipsis Apostolis, quorum tamen Congregatio fuit a Beato Augustino regulariter ordinata, cum quibus ipse vixit. Hi aliquando dicuntur Canonici Lateranenses, eo quod a Gelasio discipulo Diui Augustini, vsque ad Bonifacium VIII. per octingētos an-

annos in illa Ecclesia habitarunt; & licet ex eo tempore dicti loci dominium perdiderint. titulum tamen, & priuilegia nõ amiserunt. q. 3. art. 1.

Sunt alii Canonici Regulares, qui videntur reformati priorum, quorum reformatio cœpit extra vrbem; sed grassantibus bellis translati sunt intra, in Ecclesiam Sancti Saluatoris, vnde & Canonici Sancti Saluatoris dicti sunt. ibidem.

Supradicti non sunt de numero eorũ, quorum memoriam faciunt Pontificum iura: illi enim sunt instituti per D. Hilarium, & per Apostolos, & Episcopos eorum successores, & per D. Augustinũ reformati, necnon ad antiquum statú Canonicorum Cathedralium Ecclesiarum restituti; illi autem, quos ius Canonicum Regulares Canonicos vocat, suam originem minus antiquam habent a Sancto Arnulpho Episcopo Franciæ, anno Domini 1117. sub professione Regulæ S. Augustini. Quorum modus viuendi, cum neque omnino esset Monasticus, nec omnino Clericalis, fuit diuersis titulis ipsius rigor signatus, & a Papa Bened. XII. an. 1342. multis gratiis, & priuilegiis amplia tus. In Gallia, Italia, & maxime in Lusitania sunt valde reformati, & communiter Canonici Regulares D. Augustini nun-

nuncupantur; non quia eorum Religio Diuo Augustino fuerit instituta, sed propter Regulam illis ab ipso Augustino traditam. ibidem.

Ordo Sancti Benedicti fuit primus omnium in Occidente, sicut Ordo Sancti Basilij primus fuit in Oriente; primũ in Sublaco, ac postmodum in mõte Cassino, ab ipso sanctissimo Patriarvha sumpsit primordia, anno Domini circiter 530. fuitque postea reformatus ab Odone in Abbatiæ Lunæ Sanctæ Iustinæ ciuitatis Paduæ anno 1410. Vocari solet hic Ordo montis Cassini, ac Sanctæ Iustinæ. Eius rami, & Cõgregationes sunt, Congregatio montis Oliueti, Vallisvmbrosæ, Cistertiensium, Carthusiensium, Camaldulensium sancti Hieronymi, & Fratrum militiæ Christi reformatorum regni Portugaliæ. art. 2.

Congregationem montis Oliueti Bernardus Ptolomæus cum duobus aliis sociis Senensibus fundare cœpit prope ipsam ciuitatem, anno 1319. sub Ioanne XXII. cuius iussu Guido Petramala, Episcopus ciuitatis Aretii, visione Diuæ Virginis præhabita, & habitum, quem nunc ferunt, dedit, & Regulam Sancti Benedicti obseruandam præscripsit.

Congregatio Vallsvmbrosæ habuit initium a Ioanne Gualberto in dicta val-

valle prope Florentiam ad duo millia-ria, circa annum 1040. vel secundum alios 1060. Hæc Religio iam defecisse dicitur. art. 4.

Congregationi Cisternensium initiũ dedit quidam Stephanus Abbas, anno 1098. vel iuxta alias Robertus Abbas Abbatiæ Molismensis. Hæc nomen sumpsit a quodam Monasterio primitus ędificato in quodam loco Cistertio dicto, & paulo post sic fuit a D. Bernardo illustrata, vt merito eius Fundator dici possit; retinet tamen Regulam D. Benedicti. articulo 5.

Congregationem Camaldulensium, sic dictam a Conuentu Camalduli in territorio ciuitatis Aretii prouinciæ Tusciæ, Beatus Romualdus è ciuitate Rauenna oriundus instituit anno 1030. sub Regula Sancti Benedicti. art. 6.

Congregatio Cælestinorum, qui sunt Obseruantes sub Regula Sancti Benedicti degentes, habuit initium prope ciuitatem Sulmonam in loco dicto Mogella, a Cælestino V. qui anno 1294. ad Papalem dignitatẽ euectus, postea eidẽ renunciauit, instituti que sui confirmationem a Greg. X. impetrauit. ar. 7.

Carthusienses a S. Brunone ciuitatis Agrippæ, in territorio Grabonæ in loco Certosa dicto feliciter cæperunt, & licet

non

non voueant aliquam Regulam ab Ecclesia approbatam, sed habeant sua statuta pro Regula, laudabiliter tamen in obseruantia suarum cōstitutionum perseuerant. art.8.

Congregatio Eremitarum sancti Hieronymi è Pisa, initium habuit an. 1380. a B. Petro de Pisa; dicunturq. sancti Hieronymi, ob incredibilem eorum deuotionem erga illum, cuius discipuli esse conantur. ar. 9.

De Congregationis Eremitarum sancti Hieronymi in Hispania Authore, & tempore non satis constat. Authorem, seu potius Reformatorem dicunt quidā fuisse doctissimum quendam de Olmeto; alij Eusebium Cremonensem discipulum sancti Hieronymi; alii quendam S. fratrem Thomam. Quidquid sit, hoc institutum multi nobiles ingressi diuino spiritu ducti a Gregor. X I. illius approbationem petierunt, & obtinuerunt sub Regula sancti Augustini, anno 1375. artic. 10.

Ordo Crucigerorum a Sidiaco Episcopo Hierosolymitano (qui fuit ille Iudas, qui crucem Domini Sanctæ Helenæ præmonstrauit) originem sumpsit anno 365. vt duæ Bullæ Alexand. III. & Alex. VI. testimoniū ferunt; vel, vt Chronica Martiniana & Sabella, a Cleto II.

N post

post D. Petrum Pontifice. Ordo hic sæpius ob bella extinctus, toties restitutus fuit. Pius II. anno 1460 ordinauit, vt fratres illius habitu coloris cærulei azurini peragrarent (cum alio per prius colore vestirentur) & confirmauit, vt præ manib. semper crucem gestarent, ex quo in anteriori pectoris parte semper & crucem argenteam, & habitum talis coloris gestare consueuerunt. ar. 11.

Ordo Sãctiss. Trinitatis cæpit in regno Galliæ, temporibus Anastasii IV. & Adriani IV. a Guilielmo Duce Aquitaniæ, & Comite de Pictauia; & postea ad instantiam Ioannis Merencis eius socij ab Innoc. III. approbatus anno 1197. Ex illa Religione manauit illa illustrissima Confratria Sanctæ misericordiæ plena pietatis operibus anno 1498. a Patre Michaele de Contreras instituta, art. 12.

Ordinis sanctę Mariæ de Mercede institutum fuit primo reuelatum Regi Aragoniæ domino Laymi; & eadem hora fratri Raymundo de Penna-fort Ord. Prædicatorum eius Confessario; necnon nobili cuidam Petro Nolasco, qui fuit primus Ordinis Pater. Initium habuit Barchinonæ anno 1264. fuitque confirmatum a Clemente IV. anno 1264. Eius professores vltra tria vota quartum emittunt, quod dum vadunt inter infideles

pro

pro redemptione captiuorum, ibi debeãt manere obsides pro liberatione captiui, si timeatur posse in fide periclitari. ar.13.

Ordini Clericorum Regularium (qui communiter Theatini dicuntur) initium dedit Petrus Garrapha, postquam Episcopatui cessit, anno 1524. Vnde errãt Hispani Iesuitas vocando Theatinos. ar.14.

Ordo Clericorum ministrantium infirmis cæpit anno 1584. a Patre Camillo de Celis Doctore: quem approbauit Sixtus V. & Gregor. XIV. miris priuilegiis decorauit. ar.15.

Præmonstratenses sunt primum instituti a D. Norberto in sancto Ioanne de Præmonstrato in regno Galliæ, Diœcesis Laudunensis. Eorum Ordo fuit postea sub Regula D. Augustini confirmatus a Paschale II. & Innocent. II. ar.16.

Congregatio S. Georgii in Algala Venetiis originem duxit a quodam Gabriele Condulmerio, filio sororis Gregorii Papæ; ad reformationem Clericorum, in similitudinem Canonicorum Regulariũ D. Augustini, & in regno Lusitano a Ioãne Vlisipponensi; in quo regno maximè viget hoc tempore. ar. 17.

De Ordine Militari.

TEmplarij a Petro Gregorio, aliisque instituti, tria vota emittebant, &

Ob votum paupertatis nihil habere possunt proprij, & Commendarum, quas accipiunt, nullam habent proprietatem, sed solum administrationem: vnde morituri reddunt Societati quidquid apud illos est residui vltra alimenta. ibidem.

Ordinem militarem de Calatraua instituit anno 1158. Sancius huius nominis tertius Rex Legionis & Castellę, cognomento desideratus, in quodam Cœnobio, quod prius Templariorum fuerat, hunc postea confirmauit Alexander III. artic. 3.

Ordo Alcantaræ, prout constat ex priuilegio illi concesso anno 1174. cœpit Authore quodam Domino Gomezio Hernandez tempore Ferdinandi secundi Regis Legionis; approbatusque fuit a multis Pontificibus art. 4.

Ordo Sancti Iacobi habuit initium tempore Ramiri primi huius nominis Regis Hispanię, qui victoriam insignem contra Saracenos obtinuit auxilio Diui Iacobi visibiliter in equo albo, vexillo niueo, & in eo Cruce rubea pugnantis, circa annum 1160. In hac Religione sunt in triplici differentia personę: quędam enim cultui diuino destinantur, alię sunt Moniales, alię milites. artic. 5.

Ordo militiæ de Auis cœpit an. 1147. tempore Alphonsi Henrici primi Regis Lusitaniæ. Eius professores vouent Regulam sancti Benedicti; fuitque approbatus a multis Pontificibus. art. 6. Vide plura in fine tom. 1.

ORDO SACER.

Vide Abbas.

PRiuilegia, quibus Superioribus Ordinum concedebatur, vt suis subditis literas darent dimissorias, & mitterent eos ad quemlibet Episcopum, non sunt reuocata per Conc. Trid. quamuis ordinandi debeant, aut per ipsos Superiores (quorum examen sufficit,) aut per Episcopos diligenter examinari, iuxta eiusdem Concil. Decretum sess. 23. de Refor. tom. 1. q. 18. art. 6. & q. 24. art. 7. & to. 3. q. 24. ar. 1.

Magnum quidem priuilegium circa ordinandos fuit aliquando concessum Patribus Iesuitis; sed reuocatum est per Sixtum V. to. 1. q. 18. ar. 6.

Non requiritur tanta scientia ad ordinandum Monachum, quanta ad secularem: vnde non obstante Concil. Trident. possent Episcopi bonis, & literatis Regularibus Ordines conferre, modo

sciant

ſciant legere,& nouerint eſſentialiter requiſita in Sacerdote, cum præſertim a ſuis Ordinariis Regularibus idonei iudicentur, quorum teſtimonio non minus ſtari debet, quàm aliorum Epiſcoporum, a quibus dantur dimiſſoriæ, q. 24. art.7.

Secundum priuilegia poſſunt adhuc hoc tempore Mendicantes extra tempora ſtatuta ordinari, modo ſit dies Dominica, aut ſemiduplex: nam Concil. Trid. dicta priuilegia non reuocat, tom.3. q. 23.art.5.

Quamuis plures Ordines eodem die recipere nequeant. art.4.

Ieſuitæ, cum ſint vere Religioſi, non indigent ad ſuſcipiendos Ordines titulo patrimonii, aut beneficii: eſto in ſeculum remitti poſſint.ar.3.

Suſpenſiones latæ a Sixto V. contra male promotos non ſeruantes requiſita a Concil. Trident. procul dubio ligant etiam regulares: niſi per priuilegia eximantur, vt de facto in pleriſq. exempti ſunt.ar.8.

Hæc tamen cenſura ſuſpenſionis præſumptionem requirit: vnde non comprehendit bona fide procedentes.art.11.

Olim poterat quilibet Epiſcopus iuxta conceſſionē Sixti IV.& Leonis X.in Eccleſiis, & perſonis fratrum Minorū om-

omnes actus Episcopales exercere absq; licentia Ordinarii loci seu territorij, sed hoc reuocauit Conc. Tri. to. 3. q. 24. ar. 2.

Prælati Regulariũ in suis dimissorijs, quas suis subditis concedunt, nequeunt dispensare super interstitiis, sed humiliter dominum Episcopum rogare debẽt, vt id faciat, non expressa tamen causa dispensationis, quod sane deberet satis esse dominis Episcopis art. 3.

Qui tamen ex nulla causa dispensare possunt, vt duo sacri Ordines eodem die recipiantur. art. 5.

ORACVLVM.

ORaculum viuæ vocis tantum valet, quantum Bulla saltem quoad forũ conscientiæ; vnde Leo X. concessit de nouo, & declarauit omnes Fratres secure vti posse viuæ vocis oraculis passim contẽtis in libris Ordinis. to. 3. q. 21. ar. 1. & 2.

Nisi tamen Prouincialis cum Capitulo iudicauerit ab illis abstinẽdum: in hoc enim casu censerentur authoritate Apostolica reuocata, & suspensa. art. 3.

ORNAMENTA.

NOn licet Fratribus Minoribus procurare ornamenta pretiosa, nec vtensilia; aut ædificia sumptuosa, quamuis iuxta priuilegia, & declarationem Leon. X. possint iam receptis vti aut a spõtanee
offe-

offerentibus [cum assensu Capituli Prouincialis, secundum concessionem Sixti IV. de nouo acceptare, quandoquidem non sint illorum domini, sed tantum custodes. to. 3. q. 25. ar. 1.

Item conceditur ipsis, vt illicite, & culpabiliter procuratis vtatur in posterum: licet enim procuratio sit illicita, vsus tamen est licitus. art. 2.

PAROCHVS.

QVandocumque in priuilegijs dicitur, Saluo semper iure Parochiali, intelligendum est de decimis, & primitiis, quæ Clericis a populo debentur, non de aliis; vnde potest parochianus inuito Parocho audire Missam in Ecclesiis Fratrum Mendicantium, to. 3. q. 28. ar. 1.

Ex statuto Leon. X. non licet Fratribus cum cruce intrare parochiam ad leuandum corpus apud se sepeliendum, nõ petita licentia parochi, sed bene ipso recusante: imo nec est necesse, vt petatur, si consuetudo super hoc antiqua, quæ sit in viridi obseruantia, & cum pacifica possessione, suffragetur saluo tamẽ semper præjudicio ipsius parochi quoad quartam funeralium, vbi debetur. art. 2.

Per parochiam hic non intelligitur Ecclesia, ad quam non est necesse in-

ferri illud corpus, sed locus in quo popu lus parochialis degit, ibidem.

Ecclesiæ Parochiales, & Capellaniæ habentes populum, aut quæ alias existen tes seculares fuerunt annexę Monasteriis etiam exemptis, tenentur Episcopo, ad subsidium charitatiuum; nisi sint annexæ Societati Iesu, quę ab hac solutione exempta est per Greg. XIII. & per consequens omnes illi Ordines qui eius priuilegijs communicant. Eadem concessio facta est Fratribus Sancti Ioannis Hiero solymitani a Leone X. & Clem. VII. aliisque summis Pontificibus. tom. 2. q. 67. artic. 2.

In partibus Indiarum possunt Regulares de licentia Capituli prouincialis institui Parochi voluntate Ordinariorum nō requisita, intra, & extra Monasteriū, in locis assignatis per substitutos Regis Hispaniæ; ibique exercere omnia prædictū officiū concernentia. to. 1. q. 35. art. 1.

Dicti Fratres licet vbi ex charitate acceptarint, teneantur ex iustitia ministrare populo necessaria ad salutem; nō sunt tamen vere Parochi, nec habent iurisdictionem ordinariam alteri delegabilē; quia nunquam illud onus Curati acceptare voluerunt. art. 5.

Episcopi Indiarum, post priuilegium Pij V, quo possunt Fratres, vt supra de-

pu-

putati, exercere munia Parochi, nequeũt quidquam innouare, aut prohibere; alias nihil faciunt, & Fratres non obstante eorum prohibitione licite officio Parochi funguntur, licet populus semper maneat Episcopis subiectus. ar. 5. & 6.

PAVPERTAS.

Vide, Sepultura, Votum.

PAupertas Regularis est votum solemne, quo quis profitetur se nihil habere, nec habere posse. to. 1. q. 29. art. 3.

Hoc voto prohibetur omnis Monachus, etiam Canonicus Regularis, habere sibi seu suo nomine vllum dominium directum, vel vtile, aut possessionem in pecunia, seu re pecunia æstimabili; qualia tamen non sunt Beneficia, Tituli, Dignitates, Prioratus, &c. quorum ius habere potest nomine proprio. art 4.

Monachus post emissum votũ acquirens, acquirit quoad dominium soli Deo, & Christo, cuius etiã sunt omnia Deo, & Ecclesijs data; ius autem administratoriũ supremũ seu generale acquirit Papæ, & vniuersali Ecclesiæ; sed ius administratorium subalternum seu speciale acquirit suo Monasterio eiusmodi iuris capaci, alias soli Papæ; unde ius, quod habent Monasteria ad bona temporalia, est tan-

tum administratorium sibi ab Ecclesia concessum.ar.5.

Milites Regulares valentes ex priuilegio nubere, possunt possidere, non tantum acquisita ante professionem, sed etiam post: vnde & dare etiam prouenientia ex suis commendis, & testari possunt, ex scita, & antiqua consuetudine præscripta.ar.7.

Permissum est Superiori ex certa causa dare Monacho ius administrandi certum peculium pro indumẽtis, vel quotánis certã pecuniæ quantitatẽ: cũ hoc non sit dare proprietatẽ, vnde postea põt illa ab eodẽ auferre, quandocumq; voluerit, quamuis iurarit se non reuocaturũ, peccat tamen si sine causa faciat. ar.8.& 9.

Oeconomus institutus alicuius peculij, impendens illud contra mentem Superioris, peccat. Idem est dicendum de rebus concessis a Prælato ad suos vsus, vnde etiam de superfluis, quę sibi sua parcitate subtraxit ad vitam, non potest disponere, nisi in moderatas eleemosynas, aut alias necessitates.ar.10.

Occultare aliquid Prælato cũ animo nó illi consignandi, aut recipere aliquid sibi sine licentia, est mortale, vbi materia est notabilis, nisi sit magna necessitas aut exploratum sit consentire saltem interpretatiue prælatum in eas res, ita vt si

ab

ab ipso peteretur licentia, eam expresse daret, quamuis modus clandestine faciendi illi displiceat. ibid.

Recipere aũt res parui momenti, aut mediocris, vel eas tradere alicui fratri, aut cõmutare cũ alio extraneo, vel domestico, absq. animo occultandi tẽpore quo peterẽtur, & cũ aliqua opinione cõsensus Superioris, nõ est peccatũ, nisi aliud preceptum obedientiæ declarauerit, ar. 10.

Sicut nec ea accipere, quę ad priuatorũ Religiosorũ vsum sunt necessaria, si ea prælatus deneget; quia hoc nõ est actum dñij, aut proprietatis admittere, cũ non ex iustitia, sed ex charitate, Religionisq. institutis debita res sit, sed vsũ rerũ necessariarũ habere, q voto nõ repugnat. ibi.

Quæ sit quantitas parua, aut notabilis, vide ibid.

Non excusatur a mortali prælatus cõcedens subdito, vt quæcunque bona, quę nec sunt necessaria, nec statui conuenientia, in quosuis usus expendat; neque subditus sic utens. art. 11.

Moniales de Superioris licentia licite utuntur certis redditib. uitalitiis, ad suas particulares necessitates, & pias causas; quod non est contra, sed potius iuxta Conc. Trident. sess. 25. de Reg. c. 2. quia administratio, & possessio est penes quãdã Religiosam, quæ depositaria, vel bol-

bolsera vocatur a Superiore designata, cui manifestantur necessitates, & prædicta bona sunt Monasterii quoad proprietatem, & vsumfructum. art. 12.

Stipendium recipere pro Missis contra constitutionem Ordinis etiam non obligantem ad peccatum, est contra votum paupertatis, & mortale; & etiamsi Superior dispenset cum aliquo vt habeat pecuniam iustis de causis, non censetur dispensare in hoc modo acquirendi, vnde sic acquirens peccat. Sicut, & ille qui pro aliquo sacra faceret, vt certæ personæ pauperi, vel consanguineo centum v.g argenteos daret. art. 13.

Concil. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 3. concedit omnibus Monasteriis, & domibus tam virorum quàm mulierum mendicantium, non obstante eorum Regula, aut constitutione, bona etiam immobilia possidere. Quæ concessio non se extendit ad Fratres Minores Capuccinos, neque ad eos qui sunt de Obseruantia. art. 14.

Paupertatem fratrum Minorum, omne prorsus bonorum dominium tam in communi quàm in particulari abdicãtem, & solo simplici vsufructu rerũ necessariarum ad vitam, & exercitia Ordinis contentam esse laudabilem, & meritoriam, multi Pontificas declararunt.

Et

Et Ioannes XXII. reuocauit ante mortem suam quidquid dixerat, vel fecerat contrarium Ecclesiæ, vel determinationi Romanorum Pontificum circa hoc. quæst. 30 art. 1.

Fratres Minores Conuentuales seruantes Regulam secundùm priuilegia sibi a pluribus Pontificibus indulta, sunt omnino tuti in conscientia, cùm illam Regulam sub illa limitatione expressè vouerint, sitque eiusmodi dispensatio seu laxatio licita, & non subreptitia, vt nonnulli ausi sunt affirmare. art. 4.

PESTIS.

NOn est licitum Prælatis Regularibus tempore pestis inseruire secularibus, ne hoc cedat in præiudicium ouium suarum, quibus etiam tunc Sacramenta ministrare tenentur; & sicut alii Pastores sibi antidota sumere si suppetant, aliàque facere quæ conducunt ad leuandos Fratres infirmos, vt & suã vitam tueri, & munus suum valeant implere. tom. 3 q. 31. art. 2.

Certum est, non solùm licitum esse, sed, & honestum, vitam propriam pro proximi vita tuenda exponere, cùm sit opus summæ charitatis; tamen cui neque ex officio, neque ex professione ad

illud

illud tenentur, quales sunt qui ex institu to Regulæ vacant soli vitæ contemplatiuæ, nunquam obligantur hoc facere, etiamsi id eis expressè præcipiatur, cum hoc præceptum non spectet ad obseruantiam Regulæ, neque ad generale communitatis bonum. Tenetur tamen, deficiente Prælato, ministrare suis Fratribus, & qui ad hoc fuerint deputati, aut ex obedientia missi, art. 3.

Fratres Mendicantes, quibus ex instituto Regulæ incumbit salutem animarum procurare, & vt declarauit Clem. V. esse coadiutores Pastorum, tempore pestis non possunt fugere, sed deficientibus Pastoribus, aut nō sufficientibus ob multitudinem populi, tenentur coadiuuare, & ministrare populo, præsertim si ab Episcopo ad hoc vocetur, aut eorum necessitas euidenter appareat, art. 4.

PRAECEDENTIA.

Vide Processio.

PRAEDICARE.

Regulares cuiuscumque Ordinis, de licentia suorum Prælatorum, & petita benedictione ab Episcopo, licèt non obtenta, possunt prædicare in suis

Ec-

Ecclesiis, ac in plateis, & communibus locis; nisi ipsemet Episcopus velit ibidē, vel in Ecclesiis prædicare, aut coram se prædicari facere, to.3.q.32.art.1.

Ad concionandum vero in Parochiis, & aliis Ecclesijs requiritur expressa sui Superioris, & Episcopi licentia. Tenent tamen viri docti, Curatum posse dare licentiam Regulari notoriè docto, concionandi bis, terve in sua Parochia, sine Episcopi approbatione. Et Patres Iesuitæ, necnon communicantes eorum priuilegiis, approbati ab vno Episcopo, habent dum itinerantur facultatem vbiq; prædicandi, non cōtradicente Parocho proprio, nisi adsit ibi Episcopus loci, a quo tunc licentia petenda, art.1.& 5.

Sub pęna maledictionis æternæ prohibitum est detrahere speciatim de Prę-latis, & Superioribus Ecclesiasticis, aut Regularibus, art.2.

Prædicationem Euangelicam, etiam in terris infidelium, habere in occulto non decet, art.3.

Neque etiam ad augmentum fidei armis associari, art.4.

Regulares cum non habeant a Papa iurisdictionem ad conciones populo faciendas, sicut habent ad cōfessiones audiendas, sed tantum approbationē mendicatam ab Ordinario, toties tenētur eā

pe-

petere, quoties ab eo, aut successoribus sibi fuerit ablata per suspensionem, aut prohibitionem, art.6.

Bonifacius IX. sub excommunicatione ipso facto incurrenda prohibuit, ne Prælati Ecclesiastici, aut alii quicumque populum, aut Parochianos retrahere præsumant a concionibus fratrum audiendis, quando & quoties audire voluerint, art.7.

Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ delegati, procedunt contra Regulares etiam exemptos generali, vel speciali priuilegio, errores, aut scandala prædicantes. Ex Conc. Trid. sess 5.c.2.art.8.

Expulsus ab Ordine, vel degens extra claustra est ipso facto suspẽsus a munere prædicationis, non obstante quocumque priuilegio, ar.9. Vide Claustrũ.

Leo X. concessit quòd Prædicatores verbi Dei, & Confessarii Ordinis Minorum, quando actu prædicant, possint mutare diuinum officium, v.g. feriale in Festum & è contra, non tamen in fraudem officii, sed vt liberius consolationi fidelium vacent, art.12.

Ex concessione eiusdem licitum est Regularibus actu prædicantibus anticipare, & retardare horas comestionis diebus ieiuniorum, & serotinæ collationis iuxta suam consolationem sine scrupulo.

pulo. Quod intelligẽdum eſt etiam abſente neceſſitate; aliàs priuilegium nullum eſſet, art.13.

PRAELATVS.

Vide Abſoluere, Alienatio, Altaria, Benedicere, Benefactores, Abbatiſſa, Custos, Deſcendentia, Diſpenſare, Electio, Illegitimus, Profeſſio, Suſpenſio, Vicarius, Viſitare.

REges Hiſpaniarum ſunt Prælati omnium Ordinum militarium Hiſpanenſium, to. 3. q. 34. art. 11.

Multa pulchra omnibus communia habet Author de conditionibus requiſitis in Prælato, in ſequentibus, & tom. 1. q. 4. & 5. vſque ad 44. incluſiuè. Vbi de correctione fratrum, viſitatione, inquiſitione, & ſimilibus agitur.

PRAESCRIPTIO.

PRæſcriptio quadraginta annorum cum titulo, & bona fide valet contra Eccleſiam, ſed contra curiam Romanam requiritur decurſus centum annorum. Quod ex priuilegio Eugenii IV. & Pii V. extenditur ad Monaſteria;

tom. 1.

tom. 1. q. 36. art. 3. & to. 3. quæst. 35. ar. 2.

Monasteria præscriptione transacta possunt etiam vsque ad quatuor annos repetere restitutionem in integrum. to. 3. q. 35. art. 3.

PRIVILEGIVM.

Vide Absoluere, Confirmatio priuilegiorum, Confeßarij, Communicatio priuilegiorum, Episcopus, Eremita, Exemptio, Excommunicare, Oblatus, Oraculum, Tertiarij, Procurator.

PLura habet Author de priuilegiis, tom. 1. q. 7. 8. & 9.

Priuilegium communiter mare magnum dictum, est compilatio multorũ priuilegiorum ibi mixtim, confusèque contentorum, vnicuique Ordini a diuersis Pontificibus concessorum. Mare magnum fratrum Minorum incipit: Regimini vniuersalis Ecclesiæ; fratrum Prędicatorum: In nomine Domini: Augustiniẽsium: Dum fructus vberes; Carmelitarum: Dum attenta; Minimorũ: Dum ad sacrum. tom. 1. q. 7. art. 4.

Priuilegia Regularium non perduntur nisi per non vsum 60. annorũ, quemadmodum nec eorum bona præscribun-

buntur ante 60. annos. art. 3.

Imò non amittitur priuilegium per non vsum 60. annorum, nisi vtentes habeant scientiam illius, & voluntatem non vtendi. art. 4.

Perdito priuilegio per non vsum Religioni cui primò fuit concessum, non ideo perditur Religioni dicto priuilegio communicanti adinstar, si interim illo vsa fuerit. art. 5.

Generales Ordinum, Capitulum generale, & omnes prælati habentes authoritatem Apostolicam possunt tollere Guardianis, & aliis fratribus vsum priuilegiorum. Imò Capitulum generale, vtpote totum Ordinem repræsentans, id potest absque authoritate Apostolica: nam liberum est cuique suo priuilegio renunciare. Quæst. 9. art. 2. Vide Oraculum viuæ vocis & Exemptio.

De reuocatione, & perditione priuilegiorum multa habet. art. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. & 11.

Priuilegium Papæ impetratum a singulari fratre contra statuta sui Ordinis nullum est ex declar. Leon. X. & multorum Pont. q. 10 art. 5.

Quomodo, & quando priuilegia amittuntur, vide to. 3. q. 51. art. 5. 6. & 7.

Priuilegia concessa Abbati, non extenduntur ad Commendatarium etiam

per-

perpetuum, licèt sit in aliquibus verus Prælatus. Nec etiam priuilegia concessa communitati, ad singulares personas eiusdem; nisi talia sint, vt non nisi per singulares personas exerceri possint, vt sunt concernentia prædicationes, confessiones, &c. art. 10.

Priuilegia indulta singularibus Monachis extenduntur etiam ad Generales, Prouinciales, & Abbates, qui in fauorabilibus sunt verè Monachi, & Religiosi, licèt non in odiosis. art. 11.

Priuilegiis collatis iam professis, non gaudent Nouitii, nisi expressè id sonet, vt sunt indulgentiæ, & absolutiones. art. 12.

PROCESSIO.

Regulares, qui in strictiori clausura non viuunt, vocati ad Processiones publicas, ire tenentur, & ad id ab Episcopo cōpelli possunt. to. 3. q. 36. ar. 1.

Non tamen tenentur, nisi publicæ sint, & pro re graui, & nisi priùs vocentur. ibidem.

Neque si eorum Conuentus vltra vnum milliare distent a ciuitate, tenentur ire, quamuis ab Episcopo vocentur, ex priuilegio Leon X art. 2.

Imò Iesuitæ ex priuilegio Greg. XIII. ra-

ratione studiorum exempti sunt ab obediẽtia circa Processiones Episcopis præstanda. Et hoc idem priuilegium habent Collegia Fratrum Mendicantium, tam ratione communicationis, quàm ratione concessionis Pii V. ipsis facta; non autẽ alii Conuentus. ibidem.

Regulares si aliquando accedunt ad Processiones non vocati, aut ad non publicas, v. g. ad funeralia Principum, gratis id facere censendi sunt, nec ideo renunciant priuilegio. art. 3.

In Processione omnes Regulares pręcedunt Clerici; inter Clericos alios omnes anteeunt Canonici Ecclesiæ Cathedralis; deinde sequuntur Canonici aliarum Ecclesiarũ; Rectores Ecclesiarum simplicium, Curati, & postremò alii. Inter Religiosos omnes pręcedunt Canonici Regulares, deinde Benedictini, tertiò alii Monachi secundum antiquitatẽ suæ fundationis; postremò Mendicãtes, inter quos præeunt Prędicatores, sequũtur Minoritæ, ac deinde Eremitæ S. Augustini, & tandem Carmelitę. Inter Regulares eiusdem Ordinis præcedunt dignitate maiores, deinde religione seniores. Abbates tamen omnes etiam Canonicos præcedunt; Episcopus autẽ in suo territorio digniorem semper locum obtinet, q. 37. art. 1.

Con-

Controuersias ortas etiã inter Regulares in Processionibus, & publicis Côuentibus de præcedentia, potest, & debet Episcopus compescere, omni appellatione postposita, & non obstantibus quibuscumque. Ex Conc. Trid. sess. 25. de Reg. cap. 15. art. 3.

Fratres Minores de Obseruãtia ex declaratione Leon. X. debent in processionibus præcedere omnes alios eiusdẽ Ordinis, etiam Conuentuales, & crucem suam in loco digniori deferre, art. 4.

Greg. XIII. statuit, vt secundum antiquitatem fundationis Conuentus in illa ciuitate, & non secundum antiquitatem fundationis Ordinis Mendicãtes, & alii Religiosi in processionibus incederent; quod tamen in Hispania, & multis aliis locis non est receptum, art. 4.

PROCVRATOR.

Vide Interdictum, Professio.

INstitutio procuratoris curię Romanę in Ordine Minorum, pertinet de iure ad solum Generalem, cum ille sit verus eius Vicarius ad certas causas deputatus: licèt iuxta statuta sit a Diffinitorio eligendus; sed hoc est de bene esse: nam etsi reclamantibus omnibus electoribus

solus

ſolus Generalis eligeret, ſic electus verus eſſet, & legitimus Procurator. to. 1. q. 53. art. 1.

Huius Procuratoris authoritas tanta eſt, quanta ei a Generali confertur, & nō maior; de conſuetudine tamen habere ſolet authoritatem expreſſam in ſuis literis peragendi negotia Ordinis in Curia Romana; recipiendi hoſpites ſuæ familiæ, & apoſtatas in proprias cuiuſq; prouincias remittendi. Ceterum authoritate Apoſtolica gaudet voce actiua, & paſſiua in Diffinitorio Capituli generalis; nec poteſt continuari vltra triennium; ad eumq; pertinet orare in Capella domini Papæ, & eidem intereſſe, vt repræſentet perſonam Miniſtri generalis, art. 2.

Prior Conuentualis cum non dependeat ab Abbate, ſed a iure, poteſt cũ ſuo Conuentu abſque Abbatis conſenſu, cōſtituere Procuratorem pro bonis communitatis, & ſe ſuaq. in illius obligatione obligare. Et idem eſto iudicium de Superiore in Conuentibus, qui per Priores regũtur. Imò & quilibet Monachus, in iis, quæ pertinent ad ſe ſolum, poteſt agere per ſe, & conſtituere Procuratorē, tom. 3. q. 38. art. 1.

Procurator ſic inſtitutus ab aliquo Conuentu nequit a Prouinciali amoueri, aut impediri; quia talis amotio ſeu re-

nem Ecclesiæ Romanæ omnia data, delegata, & testamento relicta fratribus mobilia aut immobilia; necnon requisitus a Ministris vel fratribus de eorumdem consensu, omnia quibus fratres licitè vtuntur commutandi, alienandi, tractandi, expendendi, & in vsum fratrum conuertendi etiam mobilia, non seruata iuris solemnitate; item iudicialiter agẽdi omnibus causis pro rebus, & locis ad Ecclesiam Romanam spectantibus, & ipsorum fratrum vsui concessis; atque etiam pro immunitatibus, libertatibus, iniuriis, iuribus, & priuilegiis fratrum, & Conuentuum. At licèt ipse possit alios pro debitis fratrum conuenire, nequit tamen cõueniri, nisi se obligauerit, neque a fratribus regi ad postulandum in iudicio, aut ab eis importunè solicitari, sed tantùm humiliter moneri, vt eorũ necessitatibus subueniat. Et eodem modo gerere se debent fratres erga Magistratus, & alios Iudices. art. 3.

Constitutio Martiniana statuit, quòd dictus Syndicus recipere valeat pecunias, & alia oblata pro necessitatibus præsentibus, aut imminentibus Conuẽtuum, & Fratrum; quod dupliciter fieri potest. Primò, recipiendo, conseruando, & consumendo illa nomine dantium; & tunc nominatur a fratribus tãquam

fidelis amicus ad benefactoris Regulam nostram ignorantis commoditatem. Et hoc est conforme declarationibus Nicolai III. & Clementis V. & omnino secundum Regulam. Secundò, recipiendo illa in iurisdictionem Ecclesiæ Romanæ, quemadmodum, & alia, tãquam eius Procurator, quod post Martini constitutionem voluit; & declarauit omnibus fratribus licitè fieri posse Paulus IV. anno 1560.

Hoc interest inter Procuratorem, & Syndicum; quòd Procurator sit ille propriè, qui aliena negotia mandato sibi a proprio domino facto gerenda gratuito suscipit; Actor autem seu Syndicus, qui instituitur ab vniuersitate, vel a non vero domino; vnde Syndicus fratrum Minorũ proprius debet nominari Procurator: ipse enim non instituitur a Cõuentu, vel fratribus, sed a Papa qui est verus dominus. Qua parte tamen est defensor fratrum, & eorum immunitates, & priuilegia facit via iuridica, vt actor, obseruari, Syndicus optimo iure nuncupatur, q. 41. art. 1.

Regularis nõ potest esse Procurator, nisi in causa sui Monasterii iubente Prælato, quod habetur ex constitutione Clem. V. Imò ne quidẽ sic officium hoc fratri Minori competere potest, art. 2.

As-

Affirmarunt aliqui vſum Syndici a familia Ciſmontana nunquam receptum fuiſſe: ſed tamen conſuetudo omnium prouinciarum, & ſtatuta Barchinonenſia expreſsè contrarium dicunt; vnde omnibus etiam Recollectis, & Diſcalciatis eo vti licet. Et certè hodie quaſi neceſſarium videtur: nam vltra quòd Syndicus requiritur ad vendendum, cōmutandum, alienādum, omnino etiam deſideratur ad pecuniam, & eleemoſynam fratribus oblatam recipiendā, q. 39. ar. 4.

Dictis eleemoſynis per Syndicū ſiue dantium, ſiue Papę nomine receptis debent fratres vti vt pauperes ſecundum Regulæ modificationes, & intentionem Summi Pontificis, ſcilicet moderatè. Licet etiam Prælatis tales eleemoſynas pecuniarias reſpuere, & prohibere ne recipiantur, propter abuſus frequenter prouenientes, ibid.

Syndicum fratrum Minorum Reges Hiſpaniæ exemerunt a certo tributo, quod ſua lingua vocant Pecho, & eſt in vſu, q. 40. art. 1.

Imò ipſe cum vxore, & liberis potitur omnibus gratiis fratrum, quoad indulgentias, & abſolutiones peccatorum. Inſuper ipſe gaudet priuilegio fori per Clem. VII. ita vt non poſſit cōueniri pro cauſis ciuilibus, aut mixtis a quoquam

Iudice seculari, aut ecclesiastico, quàm coram Conseruatore Conuentus, cuius est Syndicus, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ ab eo qui contra attentaret. Quod profecto iustum est, cum sit persona annexa Religioni, & Vicarius Papæ, art. 4.

P R O F E S S I O.

Vide Abbatissa, Nouitius.

DVplex est professio, expressa, & tacita. Expressa est, quæ fit verbo tenus in manu prælati potentis incorporare. Tacita fit, quando Nouitius finito anno probationis in habitu Nouitiatus sciens, & volens, assumit habitum professorum, fratribus seu incorporare potentibus scientibus non esse professum, & consentientibus, vt sicut desiderat, tacitè profiteatur, to. 3. q. 17. art. 1.

Professio expressa inualida ex inutili consensu vtriusque partis, conuentus, scilicet, & profitentis; v.g. si nulla pars consensit, vel facta est ante annum probationis expletum; non potest postea tacitè ratificari, nisi vtriusque partis consensus saltem tacitus accedat, art. 3.

Si autem nulla fuerit defectu profitentis, v.g. si facta fuerit ante ætatem: suffi-

cit

cit postea adueniente ætate ipsius solius tacita ratihabitio; si verò nullitas proueniat ex inutili consensu Conuentus, quãdo v.g. maior pars non consensit, sufficit ipsius partis consensus, ibid.

Dubium non est, quin post Concilium Tridẽtinum professio ante annum probationis expletum sit nulla, art. 5.

Professio cum conditione incompatibili emissa, vt v.g. quòd poterit profitens aliquid acquirere, & tanquam sibi proprium retinere, licèt a Prælato recipiatur, irrita est, & nulla; secus est, si cõditio sit compossibilis, vt quòd poterit possidere more Monachorum: tũc enim talis conditio habetur pro non posita, art. 6.

Receptio ad professionem iure pertinet ad prælatum, & Conuentum in quo fuit educatus: quòd si alterutrius consensus desit, licèt non sit ipso iure nulla, est tamen talis declaranda, si constiterit, maiorem partem cõmunitatis iustè non consensisse, nec ei obligabitur Cõuentus, quamuis (vt ait Nauarr.) ipse Superior esset Generalis, art. 7.

Monachus iam professus transiens ad alium Ordinem, tenetur denuo vouere: alias enim non transiret in alterius iurisdictionem, nec a prioris Monasterii iurisdictione liberaretur, art. 8.

Professio laborantis morbo Gallico,

aut alio simili contagioso, vel scandaloso, valida est, si solum ius commune attendatur; nisi statuto aliquo Papali in aliqua Religione irritetur, sicut fit in Ordine Minorũ, ex priuilegio Leon. X. qui concessit quòd scãdalosis delictis notati possint expelli a Prouincialibus, quorum conscientias super hoc onerat, art. 9.

Etsi Nouitius finito anno probationis iuxta Conc. Trid. debeat statim admitti, aut reijci, non tamen necesse est statim profiteri; sed prout ante ipsum Conciliũ ius permittebat, ita etiam iusta interueniente causa vsque ad sex menses professionem recepti differre licet, articulo decimo.

Professio Regularis exempti necessario in manibus Prælati potentis incorporare Ordini emittenda est; vnde facta in manibus Episcopi, nulla erit, articulo 11.

Quamuis sola Superioris ratihabitione reualidetur. Et idem dicendum de facta in manibus simplicis Religiosi, nullum ad id mandatum habentis; antequam Superioris ratihabitionem tale votum simplex dumtaxat est, nec matrimonium dirimens, art. 12.

Hæc etiam Superioris ratihabitio necessaria est, antequam incipiat currere, & computari annus probationis recepti

per

per fratrem, cui neque ex officio, neque ex Superioris commissione talis receptio competit, ibid.

Professio facta per Procuratorem ad hoc specialiter deputatum, valet, quemadmodum, & matrimonium, nisi eum Nouitius reuocarit, ante emissam professionem; quia sic non valeret, quamuis reuocationis notitiam ipse Procurator non haberet, art. 13.

Excommunicatus validè profitetur, peccant tamen fratres scienter eum recipientes, nisi id propter rescriptum Papæ fecerint; sed tũc professio est nulla, quia tale rescriptum est inualidum, nisi (vt communiter fieri solet) in eo absoluatur, quoad hunc effectum, art. 14.

Professio facta ex metu sufficiente ad irritandum, nunquam per tacitum consensum Nouitij ratificatur, etiamsi per multos annos habitum gestet, & se fratrem cũ aliis nominet: præsumitur enim manere in sua noleitate, saltem si pluries eam testatus fuerit, nisi expresse contrarium velit, art. 15.

Concilium Tridentinum dat quinquennium nulliter professo ad reclamandum, si tamen tempore illo commodè reclamare potest: nam aliàs non est excludendus, si causam attulerit. Deficiente itaque reclamatione, etiamsi non

ratificet professionem, habetur pro professo in foro fori, non tamen in foro conscientiæ, quamuis sacros Ordines recipiat. art. 16.

Puellæ educatę in Monasterio, si suasu Abbatissæ fiat monialis, etsi se professam confessa sit in Monasterio coram prælato aut Ordinario, postea tamen in securo loco reclamanti, & coram commissario ad id deputato se non intendisse vouere iuranti, credendum est; præsumitur enim, primam confessionem factam fuisse ob timorem reuerentialem, & in loco non tuto. art. 18.

Excommunicationem Conc. Trid. ipso facto incurrunt cuiuscumque qualitatis sint, qui virginem, viduam, aut feminam ad profitendum, vel intrãdum Religionem coegerint, prçterquam in casibus in iure expressis. Quique consilium, fauorem, aut auxilium dederint; vel sciẽtes eam non sponte ingredi Monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui præsentiam, consensum, vel authoritatem interposuerint. art. 19.

Quamuis Regula Minimorum decẽ, & octo annos ad professionem requirat, tamen post Concil. Trid. valida est facta ante illud tempus, completo Nouitiatus anno. art. 20.

Cris

Criminosi post processum contra ipsos inceptum assumentes habitum, & vouentes nihil faciunt: præsumitur enim fraus ex parte illorum. to. 2. q. 2. art. 3.

Filius relinquens parentes in aliquali tantùm sui indigentia, non peccat profitendo in Religione; si verò sint in maxima, & multò magis in extrema necessitate, peccat mortaliter contra quartum præceptum; talis tamen professio tenet, cum nullum sit ius illam annullans: constitutio enim Pij V. irritās professionem grauati ære alieno supra facultates, agit de ciuilli, non de naturali obligatione, tom. 3. q. 13. art. 5.

Votum tamen filii emissum durante necessitate magna parentum, qualis est v. g. si ideo seruire, aut mendicare cogantur, licèt sit validum, non obligat ea perseuerante; sed tenetur filius eis subuenire: votum enim non potest iuri tertii præiudicare, præsertim vbi ius est naturale, aut saltem gentium, quale est filii obligatio erga parentes, ibid.

Si tempore professionis filii, necessitas parentum non erat magna, ita vt filium obligaret ad subuentionem parentum; secundùm probabiliorem sententiam, facta professione, nullo ampliùs iure tenetur, nec potest contra obedientiam Superioris eis subuenire, quamdiu nō sunt

in extrema necessitate, præsertim cùm obligatio reddendi vota sit primæ tabulæ Decalogi, obligatio autem filii ad parentes sit secundæ. to. 2. quæst. 58. art. 3.

Professio simoniacè facta est quidem iure iniusta, reuera tamen valida, per quam professus licèt excommunicatus transit de foro seculari ad regulare; tamen, nisi cum eo dispensetur, non acquirit ius ad portionem victualem in communi, vt alii Monachi, & Regulares Canonici professi, cùm illa portio Regularis sit quoddam beneficium Regulare. tom. 3. quæst. 63. art. 3.

PROTECTOR.

GReg. IX. qui antea primus omniũ fratrum Minorũ Protector fuit, statuit, vt in tribus tantùm casibus Ordo subiiceretur Protectori. Primus, quãdo ab vnitate fidei deficeret. Secundus, quando ab obedientia Romani Pontificis recederet. Tertius, quando ab obseruantia Regulæ. Idem grauiter puniendos statim, & ab omnibus actibus legitimis suspendit ipso facto, qui ad dictum protectorem recurrunt pro licentiis, & aliis consimilibus impetrandis, & hoc iã multis confirmatum fuit. tom. 3. q. 42. art. 1.

Pro-

Protector Ordinis fratrum Minorũ est in omnibus proprius Superior Clarissarum, Vrbanistarum ex Regula; Prouinciales fratrum Minorum ex concessione Iulii II. ar. 2.

PROVINCIA.

PRouincia non potest denouo erigi, aut aboleri sine expressa Papæ licẽtia, tom. 1. q. 23. ar. 8. & to. 3. q. 43. art. 1.

QVADRAGESIMA.

IVs antiquum mandat Quadragesimam inchoari ab omnibus Clericis à Dominica Quinquagesimę, cuius obligationem iam usus contrarius aboleuit; nõ tamen in nostra, & multis aliis Religionibus, in quibus duobus illis diebus ex vsu antiquo saltem in communitate ieiunatur. tom. 3. q. 45. ar. 1. & 2.

QVARTA.

Vide Canonica portio.

REFORMATIO.

COnc. Tri. sess. 25. de Reg. c. 1. mãdãs Regulares reformare ad primum præ-

præscriptum Regulæ,non intendit obligare ad primum modum viuendi Regularem,cum multa vtiliter pro temporum & occasionum varietate sint statutis, aut priuilegiis immutata, sed tantum ad essentialem obseruantiam Regulæ,to.2.q. 74.art.3. Vide 1.tom.q.26.

Singulares Fratres non mandantes executioni dictum Decretum (nisi impediant Prælatos) excusantur a peccato, donec dicta reformatio fiat, cũ illud solum tangat Prȩlatos.to.2.q.74.ar.3 Qua autem methodo Superiores procedere debeant,vide.art 4.

In virtute sanctæ Obedientiæ prohibuit Leo X. ne vlla reformatio noua in Ordine Minorũ instituatur absque consensu Ministri generalis,aut prouincialis, nisi authoritate Apostolica.art.2.

Quam salubre sit, Capitulum frequenter conuocare ad reformãdum Ordinẽ, & pulcherrimam ad Prȩlatos cõcionem, vide tom.3.q.47.art.2.& 3.

Modum,quem tenuerunt patres in instituenda, & promouenda Discalciatorum in Hispania reformatione, & intellectum cuiusdam indulti illis facti a Clemente VIII.vide art.4.

Christum Dominum Religionem instituisse cum trib. votis substantialibus, paupertatis scilicet, obedientiæ, & castitatis,

tatis, & inſpiraſſe hominibus Religionũ inſtitutoribus varios gradus Monaſticæ vitæ qui diſtinguuntur quaſi ſpecie, probant ſancti Patres. Actio generica Religionis eſt perfectio vitæ Chriſtianæ in charitatis actibus ſeu operib: circa Deũ, & proximum cum tribus prædictis votis ſpecifica verò differentia ex diuerſitate exercitiorum charitatis tamquam ex obiecto, & fine proximo ſumenda eſt. to. 3. q. 48. art. 1.

Actiones ſpecificæ directæ in vitam cõtemplatiuam (vt in Carthuſianis) preferuntur tendentibus in actiuam, ſed vtriſque præcellunt quæ in mixtam diriguntur: nã conformiores ſunt vitæ Chriſti, nec non Apoſtolorum profeſſioni. Inter Religiones verò eundem finem habentes, quales ſunt Mendicantium illa ceteris prefertur, cuius media dicto fini aſſequendo magis congruunt. ibid.

Quatuor dumtaxat ſunt Regulæ ab Eccleſia approbatæ, ſub quarum aliqua militant omnes Religioſi Eccleſiæ Catholicæ, Baſilii, Benedicti, Auguſtini, & Franciſci; nam Carthuſiani, & Ieſuitæ conſtitutiones tantum, & ſtatuta pro Regula habent. art. 2.

Ad ſolum ſummum Pontificem ſpectat Regulæ Monaſticę (quę eſt quaſi lex & norma perfectionis) approbatio. Imò ſub

ſub anathemate Innoc. III. cauit, ne quis ſine expreſſa Pontificis approbatione Religionem inſtitueret. ar. 3.

Poteſt tamen Epiſcopus approbare honeſtum quendam viuendi modum cum votis ſimplicibus, qui tamen ideo non cenſebitur Religio. art. 4.

Canonici Regulares Eccleſiarum Cathedralium ſunt eiuſdem Ord. & Religionis cum Canonicis Regularib. Monaſteriorum, cum ſit in vtriſq. idē habitus, & profeſſionis rō; deferunt. n. tam hi quā illi lineum habitum, & Regulam Monachalem eandem promittunt, & licet in pęnalib. nomine Monachorum qn̄q. nō comprehendantur, non ideo tn̄ nō ſunt vere Religioſi, quanquam etiam eorum Regula ſimpliciter Clericorum dicatur. q. 49. ar. 3. & tom. 1. q. 1. ar. 3.

RELIGIO,

Quoad obligationem.

Regularis vouens Regulā ſecundum intētionem Authoris non obligatur ad omnia contenta in ea, niſi expreſſe, verbo, vel mēte aliud exprimeret, vel intēderet, quod nihilominus periculoſum eſſet, & quaſi impoſſibile. to. 3. q. 50. ar. 1.

Ex vi Regulę quilibet profeſſus ad ſecundum

dūtaxat ſub peccato mortali obligatur. 1. Ad obedientiam Superioris præcipientis. 2. Ad non habēdum proprium. 3. Ad non contrahendum matrimoniū. 4. Ad obſeruantiam præceptorum Regulæ. 5. Ad non agendum ex contemptu. 6. Ad tendendum ad perfectionem, quæ eſt finis omnis Religionis, i. ad nunquam contemnendum habitus virtutum. ibid.

Omnes Religioſi tenentur ſub peccato mortali tendere ad perfectionem; quā D. Tho. concluſionem referens Nauarr. eam dicit multis Religioſis eſſe terribilem. Hæc autem tendentia non dicit continuam, & actualem eleuationem mentis, & omnium actionū in Deum, quod in hac vita præſtari non poteſt; nec dicit ſolam permanentiam in charitate, nihil agendo, aut volendo, quod Diuinæ dilectioni ſit contrarium: ſed virtualiter continuam eleuationem in Deum, i. habere ſemper aīum tendendi in Deū, inquantū neceſſitas præsētis vitæ patitur. q 48. a. 1.

Tranſgreſſio Regulæ in re leui non eſt mortalis contra quoſdam; quemadmodum nec uiolatio promiſſionis iuratæ de re leui etiam totali. q. 48. art. 2.

Tenent nonnulli profeſſum non teneri ad auſteritates ſuperinductas, quæ uidelicet non uigebāt tempore ſuæ profeſſionis; alii tñ dicunt poſſe per obedientiam

cogi,

cogi, maximè si conducant ad meliorem obseruantiam Regulę; & ad id olim Pius V. & Paulus I. Conuentuales, & Moniales teneri in tali casu declararunt. quęst. 52. art. 16.

De transitu ad alium Ordinem.

NOn est laudanda migratio professi de vno ordine ad alium, nisi magna id vtilitas, aut necessitas persuadeat; cùm sępius ex animi leuitate fiat, & aliquando ex nimio & indiscreto rigore Pręlatorum. Vnde Pius V. reuocauit omnia priuilegia data in hunc finē contra ius commune. tom. 3. q. 52. art. 1. & 2.

Ius autem commune permittit, vt Regularis petita licentia à suo Prouinciali, aut Abbate, & non obtenta, possit, si de bono animo constet, ad aliam Religionem strictiorem transire. art. 3.

Maior perfectio Religionis secundum aliquos consideranda est ex fine vtiliori: sed cum hoc vix possit in foro fori probari, securius est illam sumere ex externa strictiori obseruantia, & austeritate. ar. 4.

Hęc verò iuris permissio intelligenda est non tantum de Regula perfectiore, sed etiam de meliori modo eam seruandi: nam iuxta eam licet transire ad Religionem ex Regula laxiorem, si ibi magis

gis vigeat Regularis obseruantia. Quod intelligendũ, nisi aliqua spes sit futurę in breui reformationis; aut sit in eodẽ ordine aliquod Monasteriũ reformatũ. ar. 5.

Dicta iuris permissio extẽditur etiam ad Moniales, modò tamen non exeant clausulã absq licentia, quã dare tenentur Episcopi & Prouinciales. Quod si nõ possint aufugere, potest tota communitas aliud sectari institutũ suo perfectius. ar. 6.

Quod circa hoc ius commune concedit Religiosis Clericis, etiam laicis, & oblatis indulget. art. 7.

Transeundi ad laxiorem Regulam, & obseruantiam sine causa solus Papa potest facere licentiam, sed cum causa etiam Pręlatus, art. 9.

Causa autem iusta videtur esse contrarius aer proprij Monasterij, si in suo Ordine alia melius situata desint; vrgens parentum necessitas; quibus commodius subueniet in Ordine; ignorantia austeritatis suę Regulę tempore professionis ex simplicitate proueniens; nimis delicata complexio, aut infirmitas, etiam post professionem orta; persecutio mota contra aliquem Fratrem absque culpa, aut post actam pœnitentiam. art. 9. & tom. 1. q. 22. art. 5.

Papa dispensans in lege purè humana sine vlla causa, licèt ipse, & petens

peccet,

peccet, valet tñ etiam in foro conscientię dispensatio; sed in lege dependente a diuina, qualis est in nostro proposito, si causa careat, irrita est, & nulla. ar. 10.

Fugitiuus frater, quamdiu potest Conuentus sui Ordinis inuenire, nequit se ad alium Ordinem transferre. ar. 14.

Præfata iuris permissio prohibitione multorum Pontificum non extendit se ad Mendicantes, quoad transitũ ad alios Monasticos Ordines: nam in hoc facto tam prælatus dans licentiam, quam subditus ea utens, & Monachi eos recipientes ipso facto excõicantur. Quod etiã Religiosos Societatis professos, Coadiutores, & eiusdem Scholares post uota simplicia emissa concernit. ar. 15.

Omnes Regulares etiam Mendicantes petita, & non obtenta licentia, possunt tuta conscientia transire ad Carthusianos, quos Ecclesia exterius edocta omnium strictissimos iudicat, art. 18.

Vnde Carthusiano non licet migrare ad ullum alium prorsus Ordinem sine sui Superioris licentia. ar. 19.

Per plures Pontifices interdictum est sub pœna excommunicationis, & a transeuntibus, & a recipientibus incurrendæ, ne Cælestini, Cistertienses, Cassinenses, aut Benedictini Congregationis Hispaniæ, ad ullum Ordinem etiam Car-

thu-

thusiensium transeant, art.20.

Permissione iuris communis, etsi licitus sit transitus de Ordine Mendicante ad alium etiam Mendicantem, non est tamen de Ordine Minorum ad Minimorum,& è contra, ad hoc enim requiritur ipsius Papæ licentia, quacumque existente iustissima causa. ar.21.

Prohibitum est fratribus Capuccinis a multis Pontificibus, sub excommunicationis pœna, recipere fratres de Obseruantia, absque sui Superioris licentia in scriptis obtenta. ar.22.

Votum Religiosi de nunquam ingrediendo Religionem strictiorē, sicut nullum est, ita nihil etiam impedit. ar.24.

Translatus non potest fieri prælatus, nisi sit ibi professus, ar.25.

Quod si authoritate Papæ factus fuerit prælatus, ubi renunciarit prælaturæ, aut aliter ea priuatus fuerit, non remanebit filius illius Monasterii, sed primi ubi uouit, saltem secundum plures Doctores; licet Nauarr. probabiliter oppositum tueatur. ar.26.

Religiosus professus ex permissione iuris migrans non potest quidquam secum auferre eorum quæ primo Monasterio acquisiuit quoad proprietatē; quia ius id concedens intelligit sine præiudicio tertij, scilicet Monasterii iam haben-

bentis ius ad illa; si uero cum bona uenia prælati, & iusta causa transeat ad aliud sui, aut alterius Ordinis Monasterium, habebit usumfructum eorum tantum; quòd si & licentia & causa desint, nihil permittitur ei deferre. Si mittatur in pœnam delicti, primum Monasterium debet ei uictum. ar. 27.

Regularis in Ordine Mendicante trãslatus, etiam authoritate Papali, ad Ordinem non Mendicantem ipso facto priuatur voce actiua, & passiua, necnon habilitate ad quæcumque officia, non obstante omni priuilegio. ar. 28.

Translatus de prouincia ad prouinciam eiusdem Ordinis, tenet locum suæ professionis, etiam ante incorporationẽ, licet careat voce in capitulo. At si ad aliũ Ordinem transeat, præcedentia computatur solum a secũda professione emissa, nisi sit euectus ad prælaturã. ar. 29. et 30.

Etsi prouinciales possint ob iustam causam concedere licentiam degendi extra claustra, in Eremo, hospitali, aut seruitio alicuius Ecclesiæ retento semper habitu; soli tamen Papæ permissum est dare facultatem Regulari manendi extra in habitu clericali; nisi declarando eum non esse professum, vel ob demerita priuando habitu. q. 53. art. 6.

Si tamen necessitas manendi extra clau-

claustra sine habitu ad tempus vrgeat; vt si sanitatem corporis iudicio Medici aliter commode recuperare, vel necessitati parentum aliter subuenire nequeat; habet prælatus etiam prouincialis potestatem hanc licentiam impertiendi. ar. 5.

RELIQVIAE.

Reliquias Sanctorum pro consecratione Altarium, & lapides cuiuscunque generis consecratos, aut non consecratos, extra vrbem deferre permittit priuilegium Alex. VI. q. 55. ar. 2.

RESERVATIO CASVVM.

Vide Nouitius.

Videntur hæresim sapere, qui negāt Prælatos posse sibi reseruare casus; quinimò hoc olim ex priuilegio Alexan. VI. concessum erat etiam Guardianis; sed per non usum, & per contrariam ordinationem statutorum nostrorum est iam sublatum. to. 1. q. 21. ar. 2.

Clem. VIII. ita restrinxit potestatem prouincialium, & Generalis, ut nequeāt per seipsos casus reseruare, sed tantum cum Capitulo: quod tamen non uidetur receptum in nostro Ordine Minorum, ob

ob casus quotidie contingentes. ibid.

Regularis absolués a reseruatis in suo Ordine; vltra quod nihil faciat incidit in pœnam excommunicationis a iure latæ. art. 3.

Prouincialis, & ab eo delegati valide, & licite absoluunt omnes Fratres omniũ prouinciarum ad se venientes. Similiter habens authoritatem passiuam absoluendi a suis reseruatis, etiam a solo Prouinciali, legitime absoluitur a quocũque cuiuscumque prouinciæ, ad confessiones audiendas admisso. ibid.

Prælati Prædicatorum tenentur sub præcepto cuiusdã Bullæ Pij V. benignos se exhibere subditis petentibus licentiam passiuam absoluendi; vnde videntur peccare mortaliter eam sine rationabili causa negantes. art. 4.

Tunc tamen Fratres rei nullo modo ne indirecte quidem possunt ab alio inferiore absolui, sic vt non teneantur amplius se presentare coram eo, qui hanc habeat facultatem; poterit tñ absolui ab alijs directe, & a reseruatis indirectè, cum obligatione ea confitendi postmodum habenti authoritatem. q. 20. art. 30.

Prælati inferiores, vt sunt Conuentuales, qui a iure vidẽtur habere facultatem eligendi sibi confessarium etiam præter sui prouincialis licentiam, possunt ab

co-

eodem Confessario electo absolui ab omnibus reseruatis, a quibus ipsi alios absoluunt. ar. 28. & q. 21.

Guardiani habentes a Prouinciali authoritatē absoluendi a reseruatis, possunt in casu particulari illam alteri delegare; imò statuta nostri Ordinis declarant, quod Guardiani habeant authoritatem prælatorum in foro conscientiæ, & quod authorias ipsis per prouincialem commissa semper remaneat apud eorū Vicarios, & Vicariorum Vicarios. q. 21. art. 9.

Ad vsum Bullæ Cruciatę requiritur in professis expressa prælati licentia; non tamen in Nouitiis, ad quos non se extendit casuum reseruatio. art. 10. & 11.

SEPVLTVRA.

Vide Habitus, Parochus.

MOrientes in habitu Ordinis necessario olim sepeliendi erant apud Fratres; hodie tamen liberam habent sepulturam vbiuis eligendi facultatem. to. 3. q. 58. art. 5.

Prohibentur Clerici seculares, & Regulares sub pęna maledictionis æternæ, aliquem inducere ad vouendum, iurandum, & fide interposita, vel alias promittendum se electurum sepulturam in sua Ecclesia; nec omnino valet talis ele-

ctio, si fiat; vnde necessario sunt sepeliendi in monumentis maiorum suorum, aut in loco, quem prius elegerant. Quod si de facto Religiosi sepelierint, tenentur ad restitutionem corporis, si petatur; necnõ omnium oblationum in exequiis factarũ; alias ipso facto interdicto subiacent. art. 7.

Hæc constitutio cum sit pęnalis requirit Primò, vt effectus sequatur. Secundò, vt persona inducens faciat non nomine proprio, sed totius communitatis. Tertiò, vt alliciat ad eligendum in sua Ecclesia, nõ in Ecclesia alterius Ordinis. Quarto, vt verè inducat; vnde exhortans solum non incurrit eam censuram; non interueniente voto, iuramento, aut promissione. ibidem.

Omnibus vtriusque sexus licitum est in habitu Fratrum Minorum sepeliri; nec id prohibere potest quisquam Prælatorum sub pœna excommunicationis Papæ reseruata, quam canonica monitione præmissa, contrafacientes incurrunt. Hic autem habitus dandus est a Guardiano loci, aut eo solo, cui ille commiserit; & induti, deportandi sunt aperte sine vllo tegumento, non obstante omni statuto, consuetudine, aut præcepto Ordinariorum. q. 59. art. 1.

Professus necessariò sepeliendus est in Mo-

Monasterio; Abbas verò, Nouitius, & Oblatus possunt alibi eligere sepulturam. q. 60. art. 1. & 2.

Nō tenentur Monasterium ad impensas sepulturæ Nouitij diuitis, sed eius hæredes. art. 4.

Monachus decedens proprietarius, iure priuatus est sepultura ecclesiastica. Quod intellige, si ante mortem premonitus noluit resignare, vnde moriēs cum bursa, inhumandus est in loco sacro, quia in dubio bene iudicandum, & presumendum habuisse licentiam, aut voluntatem resignandi, sed ex obliuione, &c non fecisse, quod fallit in Fratre Minore, apud quem si etiam minima pecuniæ quantitas inuenta fuerit, non est in loco sacro inhumandus. q. 61. art. 1.

Indignos ecclesiastica sepultura iure potest Episcopus impedire ne ad loca Fratrum exempta deferantur, non autem ipse intrare loca Fratrum, & iam humo (licet iniuste) mandata corpora extrahere, nisi defunctus fuerit vsurarius manifestus, excommunicatus publice, & nominatim interdictus: tunc enim iure potest. art. 4.

SIMONIA.

Vide Dispensare, Donare, Dos, Nouitius, Professio.

STATVTVM.

STatutum, est quod fit a communitate; præceptũ a Superiore; illud valet morte prouincialis, aut Generalis; hoc morte præcipientis finitur. to. 1. q. 10 art. 1.

Statutum Ordinis, v. g. Capituli generalis, non valet contra ius Canonicũ; nec generale carens authoritate Apostolica, contra illud quod habet. art. 3. & 4.

Pęnale statutũ volunt aliqui etiam obligare ad culpã, si talis pęna non subeatur; sed contrarium est verius, cũ in Religione pęnæ non semper debeãt respicere culpas, sed sæpe mortificationem. ar. 6.

Oẽs Moniales Fratrib. Minorib. subditæ, tenentur acceptare statuta Ordinis et Prouincialia, pro ipsis edita. art. 7.

Sixtus IV. declarauit quod in Ordine Minorum nullum statutum, cõsuetudo, aut declaratio, etiam a Papa confirmata præter Regulam obligat ad mortale; ꝙ etiam comprehendit declarationes, & constitutiones Papales, nisi illæ sint omnibus Regularibus communes: non tamen extendit se ad post facienda, sed tãtum ad ea quę prius erant facta. art. 8.

Papa confirmans aliquod statutũ, nunquam intendit relaxare, sed semper reformare, aut saltẽ in obseruantia confirmare; alias nisi expresse dicat, talis cõfirmatio cẽsenda est subreptitia, & nulla. ar. 9.

SVC-

SVCCEDERE.

Vide Hæres.

SVSPENSIO.

Vide Abbatissa.

IN his casibus Regulares incurrunt à iure suspensionem. Primo, prælati alienantes rem stabilem sine solemnitate, & assensu Capituli, aut Generalis. Secundò, prælati submittentes bona immobilia, aut iura Ecclesię laicis sine Papæ licentia, & similiter ij qui Romæ existentes nō denunciant eos, qui hoc fecerint. Tertiò, in ordine Mendicantiū prælatus admittens ad professionem ante annum probationis expletum. Quartò, Prælatus, nisi damno satisfaciat intra mensem postquam fuerit requisitus, quod aliquis ex suis subditis intulit detrahendo de Prælatis Ecclesiæ. Quinto, Fratres qui sacris initiantur, absque Reuerendis proprii Superioris. Sextò, Regularis vsurpans sibi decimas, nouales, &c. pertinentes ad Parochiam, vel aliam

Ecclesiam,absque causa,& priuilegio; nisi requisitus intra vnũ mensem desistat, & intra duos satisfaciat; si habeat administrationem suspensus est ab officio,& beneficio; si autem non habeat, excommunicatur. Septimo, suspenduntur ab officio prædicationis omnes Religiosi, exceptis iis, qui decimas recipiunt, si requisiti a pastoribus omittant scienter facere conscientiam sibi confitentibus de soluendis decimis; & hoc quamdiu non fecerint,si commoditatem habuerint. Octauo, qui venationi, aut aucupationi clamorosæ cum canibus,& auibus ex proposito interfuerint contra Clementinam primam Monachorum, cuius meminit Sylu. verbo, suspensio, §.6. versu 3 1.

Nono, Fratres Ordinis Predicatorum promoti ad Episcopatum, vel alias prælaturas, si ante recipiant consecrationem, quam omnia quę habebant tempore suę promotionis, Ordini resignauerit suspenduntur ab executione Pontificalium. Decimo, Fratres Prædicatores perturbantes Fratres Minores in officio Inquisitionis, aut è contra; suspendũtur ab executione sacrorum Ordinũ, a solo Papa absoluendi. Vndecimo, Regulares retrahentes infirmum, aut alium volentem aliquid legare Ecclesiæ Parochiali, aut Matrici. Item, & eorum Prelati, qui de dãno resar-

ciendo

ciendo requisiti intra vnum mensem nõ curant satisfacere, grauissimas pœnas incurrunt. Duodecimo, Regulares admittentes intra claustra mulieres, suspensione a diuinis ligantur. Decimotertio, suspẽduntur item Regulares, qui ex administratione Eucharistiæ, Extremæ Vnctionis, & solemnizatione Matrimonii, aut quacumq. absolutione indebita aliquid acquisierint; nisi postquam fuerint requisiti intra mensem restituerint, donec satisfecerint. to. 3. q. 65. art. 2.

Suspensio generaliter lata contra Regulares, comprehendit prælatos, nõ tantum Conuentuales, sed etiam prouinciales, & Generalem, quia in hoc non est eadem ratio eorum cum Episcopis, quorũ suspensio multis affert detrimentum spirituale. art. 5.

SCRVPVLVS.

QVomodo differat scrupulus a dubio, & quæ sint remedia contra scrupulos tam in generali, quam in particulari, vide tom. 3. q. 66.

STVDIVM.

Vide Agere, Lectores, Ordo facer.

SOlus Abbas sine consensu Conuentus petito tamen cõsilio, potest mit-

tere fratrem ex Monasterio ad studia. tom. 3. q. 67. ar. 1.

Abbate autem eam licentiam recusante Monacho etiam sine causa, nequit eã concedere Episcopus. Non est prohibitũ Regulari audire Canones, licet in adiumentum nonnullæ leges doceantur: bene autem leges ciuiles simpliciter. art. 2.

Sed quamuis non liceat eis studere legibus propter se, licet tñ propter cõmodiorem intelligentiam Canonum, ad quod maxime conducit legum cognitio. ar. 4.

Imò probabile est, Legatum a latere, qui in leuib. venit nomine Sedis Apostolicæ, posse dispensare cum Regulari, vt audiat leges, & Physicam. art. 5.

Legatum relictum fratri Minori, licet non ualeat communiter, ualet tamen relictum causa studii; quia censetur esse relictum ad pias causas. ar. 8.

De scientia requisita, & necessaria Religiosis, & quomodo ipsis liceat studere philosophiæ ad finem Theologiæ, vide tom. 3. q. 64. ar. 5.

Regularis dimisso habitu sine licentia audiẽs leges, aut Medicinam, & Doctorem in scholis temere detinens, & docens, ambo excommunicantur excommunicatione Papali, si tamen effectus sequatur: nam licet Regularis sit eo animo egressus claustro, si tamen mutet consi-

lium, v. g. studeat licitis, neque ille, neque participans eam incurrunt, licet aliam non euadant. ar. 3. & q. 64.

SYNDICVS.

Vide Procurator.

TAVRORVM AGITATIO.

OLim constitutione Pij V. prohibebantur taurorum agitationib. interesse omnes Clerici, & Regulares etiã Feriatis diebus, & sine scandalo, sub excommunicatione ferenda: quam quidẽ Clem. VIII. relaxauit quoad clericos, sed confirmauit, quoad Regulares; vnde iam eis non licet quacunque intentione, sub peccato mortali. to. 3. q. 68. ar. 2.

Hoc præceptum se extendit etiam ad Canonicos Regulares, cum fundetur in Religione, & illi sint verè Religiosi: non autem ad milites Regulares, nisi ad eorum Clericos. art. 3. & 4.

TESTAMENTVM.

Vide Episcopus, Hæreditas, Nouitius.

PEccat Regularis quicumque, etiam Canonicus, aut Prælatus, cõdens te-

stamentum ante mortē, vel dans memorialæ suæ vltimæ volūtaris circa dispositionem suarum supellectilium cum intētione obligandi, & testamentum est nullum a iure, ad quod minime suffragari potest licentia prælati, quę nulla est in hac parte. Excusatur tn̄ qui liberos habuerit ante professionē, quibus ante non diuiserat portionem legitimam; tunc n. potest illis eam diuidere, reliquis manentibus Monasterio Facultas tamen est penes summū Pontificē licentiā faciēdi ad testandū absq. dispensatione in voto; cū ad hoc non requiratur proprietas, sed sufficiat administratio. tom. 3. q. 69. art. 2.

Professus non potest, etiam de licentia sui Superioris, reuocare, aut alterare testamentū ante professionem factū; bene autem suam intentionem declarare. ar. 3.

Professus in Ordine militari; licet ex vi Regulæ teneatur ad paupertatem, & per consequens prohibeatur testari; tamen ex antiquo vsu, & consuetudine viuendi contraria iam præscripta, hodie omnes possident, & vouent secundum illam intentionem: Magister enim Ordinis in hoc dispensauit, vt scilicet non magis teneantur seruari consueuit. Imò Gregor. XIII. ad maiorem securitatem hoc eis concessit; sicut, & Clemens VII. ar. 7.

Hęc tamen testandi facultas neq; Mal tenses

tenses, neque alios milites Regulares, quam Hispaniæ, comprehendit art. 7.

Oblatus eo ipso quo se, suaque Ecclesiæ, aut Monastrio obtulit, per illam liberam suam donationem (etsi non sit Religiosus) testandi iure priuatur art. 8.

Testamentum factum ante professionem a nihil cogitante de Religione, per professionem rumpitur respectu partiũ, quæ ad Monasterium erant peruenturæ; secus est, si tunc cogitabat de Religione, quia tunc ualet, etiam non seruata iuris solemnitate. art. 11.

Nullus Religionis officium executoris acceptare, multo minus exequi potest sine expressa licentia Superioris: alias irrite irritũ esset, quidquid attentaret, cũ non habeat velle. Quisquis autẽ alios ad hoc licentiare potest, idipsum per se præstandi facultatem habet. q. 70 art. 1.

Per Clem. Exiui, &c. interdicitur Fratribus Minoribus, ne executores unquã instituantur: non aũt ne ipsis per testatorem committatur electio executorũ, aut facultas consulendi executores pro distribuendis legatis, ita ut ab ipsis executores consilium petere teneantur. art. 2.

Frater Minor licitè exequitur testamentum distribuendum inter Fratres, & Sorores sui Ordinis herede sponte soluente. art. 2.

Regularis executor testamenti, si solus sit, potest pauperibus eroganda suo applicare Monasterio, nisi testator aliquid legauerit: sibi autē extra summam necessitatem existenti, communiter non potest, nisi constiterit de voluntate testatoris, aut alios habeat executionis coadiutores. art. 4. & tom. 2. q. 126. art. 8.

Regularis etiam exemptus, aut Prælatus testamentarius potest conueniri ab Episcopo pro reddenda ratione executionis testamenti. Quod intelligendum de Religioso habente exemptionem communem, & conuentionibus ratione contractus, vel delicti subiecti; non autem de ijs qui conueniri non possunt, quales sunt omnes Mendicantes. art. 5.

Nulli autem prohibetur testari in testamentis cū licētia Superioris q. 31. ar. 2.

TERTIARII.

Vide Exemptio.

Tertiarij, quos Sanctus Franciscus instituit, viuentes in domibus suis non sunt Religiosi, cum non dederit eis Regulam, sed tantum pium quendam viuendi modum; vnde Fratres nullam in eis habent iurisdictionem; sed tantum curam spiritualem illi autem qui

viuunt

viuunt in communi secũdum Regulam approbatam a Sixto IV. sunt verè Religiosi, & sub cura fratrum Minorum, ijs exceptis, qui tacẽtibus prælatis Ordinis, Episcopis se subdiderunt, to.3.q.72.ar.1.

Seraphicus Pater S. Frãciscus primus fuit qui Tertiarios instituit; ad cuius postea imitationem alii omnes a Summis Pontificibus hoc idem impetrarunt. In Ordine Prædicatorum sunt Fratres, & Sorores Tertiariæ tria vota essentialia emittentes, ac proinde veri Religiosi. In ordine Minimorum sunt etiam vtriusq; sexus, sed tamen non videntur Religiosi. Ordo Carmelitarum, & Augustinienſium solum habet mulieres, non Religiosas, sed pœnitentes, art. 2. & 3.

Habitus Tertiariorum Beatiss. Patris nostri Francisci viuentium in mundo secundum primam institutionem, est quo ad formam similis habitui secularium, sed quoad colorem cinereus: viuentium autem in Congregatione debet differre forma, & colore ab habitu eorumdem fratrum, hoc est, esse coloris obscurioris, non quidem albi, aut nigri, magis tamẽ ad nigredinem tendentis. Quoad formam caparonem habens ita latum, vt desuper scapulas descendat ab vtraque parte per quatuor digitos, & in longitudine infra corrigiam; prout statuit Iu-

lius.

lius II. Cordam per suam Regulam portare non debent, sed corrigiam; vnde quòd hodie aliter vestiuntur in quibusdam locis, consuetudine, seu, vt verius, corruptela introductum est, meritò reformanda, art. 4.

Hodie ex constitutionibus Pij V. & Greg. XIII. Tertiarij S. Francisci viuētes in cōi, sub cura & regimine fratrū Minorum, Regulam approbatā vouentes, gaudent omnibus eorū priuilegiis, exēptionibus, immunitatibus, & gratiis, q. 73. ar. 1.

Aliæ autem Tertiariæ subsunt Episcopis; sed gaudent fratrum priuilegiis quo ad indulgentias, & absolutiones, art. 2. & q. 74. art. 11.

TORTVRA.

Vide Iudex.

NOn est in vsu Religionum aliud torturæ genus, quàm flagellatio, & ieiunium in pane, & aqua; alia autem in aliis tribunalibus exerceri solita, absit quòd admittantur in eis propter reuerentiam clericatus, & habitus regularis, tom. 2. quæst. 12. art. 4.

Nec vnquam debet esse tanta flagellatio, vt incolumitas flagellati lædatur, vt iure prohibetur, vel vt videatur esse in vindictam sanguinis, q. 20. art. 7.

TRI-

TRIBVTVM.
Vide Exemptio.

Pius V. post alios Summos Pontifices concessit Regi Hispaniarum Philippo quoddã subsidium pro expeditione belli contra infideles, super redditibus bonorum ecclesiasticorum, & Regularium, etiam militiæ Regularis (demptis Cardinalibus, & militibus Hierosolymitanis) per Nuntium Apostolicum taxandum. Et hanc concessionem cõfirmauit Greg. XIII. & alii sequentes. Ad hanc autem solutionem pro rata faciendam etiã Regulares censuris, & mulctatione pecuniaria per dictũ Nuntium compelli possunt, nõ obstantibus quibuscumque priuilegiis, inuocatoẽt ad hoc, si opus sit, auxilio brachii secularis, to. 3. q. 74. art. 14

Ad hanc quotam taxandam necessariò sunt Regulares vocandi, & audiendi, ex præcepto Clem. VII. aliàs non tenentur soluere, art. 5.

Nouitius vendens bona sua tenetur ad tributum Regale, vt alii. Quod tamen fallit in fratribus Societatis IESV post emissa vota simplicia, art. 5.

Tradunt multi Doctores, tributũ esse soluendum ab emptore iure communi; alii iure Regio a vẽditore; quidquid sit:

Re-

Regularis vēdens rem Monasterii, aut suam, nūquam tenetur soluere, cum ius, & priuilegium Regulares persona, & bona a Regia potestate eximat. art.7. & 10.

Nec etiam tenetur Regularis emens a laico, cum statim res empta transeat in emptorem; sed bene tenetur secularis vendens. Quod licèt causet aliquod dānum carioris emptionis, emptori tamen licitum est, nec libertati ecclesiasticæ repugnat. art.7. & 13.

Hæc tamen exemptio tributi non prodest Clericis, & Monachis, quando emunt, vendunt, aut permutant pro negotiatione; cum scilicet hæc faciunt non ad suum vsum, aut vitam lucrandam; sed ad res reuendendas in eadem forma lucri gratia tantùm. art.8. & 10.

Regulares speciali priuilegio exempti, quales sunt omnes Mendicantes, & Religiosi Beati Ioannis Hierosolymitani, non tenentur ad subsidia, exactiones, gabellas, & alia quocumque nomine vocentur solita dari Episcopis; nisi ratione aliquarum capellarum, aut Ecclesiārum Monasterio annexarum, habentium populum Ordinariis subiectum. tom. 2. q.66. art.2.3. & 4. & q.67. art.1. & 2.

Per Conc. Trid. sess. 18. de Refor. c.18. soli Mendicantes, & Maltenses eximūtur a contributione facienda seminariis ha-

habendis in vnaquaq; Diœceſi.q.67.a.3.

VASSALLVS.

Vide Feudum, Monaſterium.

BEnedictini nigri iure habent vaſſallos, & in eos vtraque iuriſdictionem exercent. Olim Ciſtertienſibus non licebat, ſed hodie id eis priuilegia concedunt. tom.3.q.73.art.1.& 2.

VICARIVS.

Vide Abſoluere, Electio, Reſeruatio casuum.

VIcarius inſtitutus a Capitulo, aut Miniſtro prouinciali ad regendũ in abſentia Guardiani, aut prioris, tempore quo præſidet, gaudet authoritatẽ, & priuilegiis Guardiani; non autẽ alius ab ipſo Guardiano delegatus in abſentia ſui, & dicti Vicarii eam authoritatẽ in omnibus habet. tom.1.q.19 art.2.

Vbi ſtatutum eſt in Religione, quòd Præſidentes aut Vicarii Cõuentus eligi nequeant in Diſcretos mittẽdos ad Capitulum prouinciale; non poteſt cum iis Viſitator etiam cum plenitudine poteſtatis ſine iuſta cauſa diſpenſare: ſi tamẽ diſpenſet, videtur valida diſpẽſatio, niſi Pręſes Capituli eã irritet. to.2.q.53.a.15.

Vicarii inſtituti, vt ſuprà habent in abſentia Guardiani iuriſdictionem ordinariam, quã, & aliis delegare poſſunt. tom.3.q.76 art.1.

Mortuo Generali In Ordine Minorũ, non potest eligi Vicarius Ordinis vsq; ad Capitulum generale, sine expressa Papæ licentia, ex cõstitutione Nicolai IV. ar. 2.

Guardianus non habet authoritatem amouẽdi Vicarium institutũ a Capitulo, aut Ministro prouinciali; bene autem a se constitutum; huius officiũ mortuo Guardiano expirat, non autem alterius, art. 3.

Vicariatus Episcopalis plurimũ dedecet statum Regularem Mendicantium; non autem aliorum Monachorũ; modò adsit licentia non solum Superioris Conuentualis, sed etiam Prouincialis, saltem secundum aliquos, art. 5.

VISITATIO.

Vide Tertiarii.

Cum Superiores, prçsertim Regulares, exactam debeant suæ vilicationis rationem reddere, conuenientissimũ est officium Visitationis, seu Syndicationis fratrum, tom. 2. q 4. art 1.

In Ordine Minorum per statuta non debent institui Visitatores prouinciæ, nisi illi, qui aliquãdo fuerint Prouinciales, aut Diffinitores in praxi causarum Regularium bene versati, art. 2.

Visitatores instituti cum plenitudine potestatis pro tota vna prouincia, non autem si pro vno solo Conuentu, videntur posse alios subdelegare, nisi id eis sit

in-

interdictum, art. 3.

Omnes Prelati generales, & prouinciales iure diuino tenentur aliquãdo visitare fratres suos; quod probant Doctores, ex illo Lucæ: Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos; & ex iure Canonico, singulis annis. Ex Conc. Trid. sess. 25. de Regular. c. 10. & 20. art. 4.

In visitatione facienda hic ordo seruandus est. Primò, Visitator proponat verbum Dei. Secundò, inquirat de vita fratrũ, & de locis, & rebus cultui diuino dedicatis secundum iuris dispositionem. Tertiò, de obseruãtia Canonum, præsertim contra Conc. Trid. Quartò de obseruantia Regulæ. Et quintò denique de iis quæ solent a Visitatoribus inquiri, art. 5.

Iusiurandum exigi debet a Visitatore, non tantum vt quilibet dicat veritatem eorum, de quibus interrogabitur; sed etiam eorum omnium quæ scit, credit, vel fama est, ibid.

Iniustè agunt Visitatores, qui inquisitione facta præcipitanter emittunt aliquos fratres non infamatos; nec conuictos, ad alios Cõuentus, aut per sanctam obedientiam, vel excommunicationem vetant, ne deinceps ingrediantur quasdã domos non infamatas; quia ista vergunt in iniustum dedecus fratris, & aliquãdo totius communitatis; sed debent occultè

ob-

obuiare malo, modo congruo, q. 6. art. 9.

Secundum ius antiquũ poterant Abbatissa, & Priorissa visitare non solum suum Monasteriũ, sed etiam omnia alia sibi subiecta; obtenta tamen licentia ad egrediendum; qua non obtenta tãquam legitimè impeditis licebat visitationem committere alteri etiam masculo omni exceptione maiori. Sed per Conc. Trid. prohibetur eis egressus ea de causa, ar. 10.

Ordinauit Clem. IV. in Ordine Cistertiẽsi, vt Visitator facultatem habeat deponendi oẽs Officiales Monasterii, etiam Cõsiliarios, cum consilio tñ prudentum; & causa id exigente; non tñ Abbatem; nisi in certis casibus, licèt possit eum suspẽdere ab officio vsq; ad Capitulum, in quo defensionis locũ habebit, q. 26. art. 3.

Lex antiqua visitationis videtur inducta ad syndicationem non communium hominum: sed Superiorum, & prçsertim Iudicum, quorũm est alios regere, tom. 3. q. 77. art. 1.

Visitatores non debent facilè audire leues, aut impertinẽtes, multò minus diffamatorias accusationes inferiorũ, sçpius ex passione cæcutientium contra prælatos, sed prudenter tolerare communem eorum cum aliis infirmitatẽ, vel ad summum ipsos in particulari monere, art. 2.

Quàm discretè debeat Visitator proce-

cedere contra prælatum accusatum in visitatione, pro quo meritò semper est bene præsumendum, nisi sit diffamatus, vide art 3.4.& seqq. Quomodo procedendum sit contra calumniatores, excõmunicatione Papali Innoc. VIII. inhibuit; ne quisquam Regularis, aut Ecclesiasticus, cuiuscumque dignitatis sit, Cistercienses visitare præsumat, præterquam eiusdem Ordinis Abbates, art. 9.

Qui quidem Abbates eodẽ priuilegio preceptum habent cum excõicatione ipso facto incurrenda, visitandi singulis annis Monasteria sibi subdita; alii autem prælati Regulares, licèt illam excommunicationem non incurrant, peccant tamẽ grauiter, cum in re graui præceptum quoddam maximè necessariũ frangant. Sed vtrumque intelligitur de negligentibus, & rebellibus in huiusmodi visitationibus, art. 10.

VOTVM.

Vide Castitas, Dispensatio quoad vota, Matrimonium, Monialis, Professio, Religio.

SVperiores Ordinis S. Benedicti ex cõcessione Martini V. & Eugen. IV. authoritatem habent dispẽsandi cum subditis, vbi rationabilis causa id exigit, super quarto voto quod emittunt, de clausura obseruanda, tom. 3. q. 78. art. 1.

Do-

Donati in Ordine sancti Benedicti solemnia vota emittunt, non autem in aliis Ordinibus. art. 2.

Communis est opinio Doctorum, maiorem nasci obligationem ex voto, quã ex iuramento, tom. 2. quæst. 121. art. 3.

Doctè probat Sanctus Thomas, 2. 2. quæst. 186. art. 6. ad perfectionem acquirendam necessarium esse votum, figuratum olim in votis Nazaræorum. Et multi Doctores illustres cum S. Hieronymo declarant primos Christianos solitos vouere quædam, ex illo Scripturæ. Cur tẽtauit Satanas cor tuum; non es mentitus hominibus, sed Deo. tom. 1. q. 1. ar. 1.

Ad solemnitatem voti multa requiruntur. Primò, vt præcesserit probatio per annum in habitu Regulari. Secundò. professio expressa, vel tacita. Tertiò, receptio propnı Superioris valentis incorporare. Quartò, vt fiat in certa, & determinata Religione. Quintò, ꝙ illa Religio sit approbata a sede Apostolica. a. 2.

Solemnitas votorum non est essentialis Religioni: cũ olim apud ptimos Religiosos, quos sancta simplicitas, & verecundia satis in Religione continebat, nõ fuerit in vsu; sed postea crescente hominum malitia, ad vitãdam fraudem, fuit introducta in Synodo Roni. sub Innoc. II. anno 1139. ad diremptionem matrimo-

monii.tom.3.quæst.1.art.2.

Poteſt ſummus Pontifex effectum dirimendi matrimonii etiam voto ſimplici tribuere, vt fecit Greg. XIII. in Nouitiis Societatis elapſo biennio vota emittentibus; quæ vota licèt ſint ſimplicia, efficiunt tamen veram, abſolutam, & perpetuam traditionem, ex parte vouẽtis, ſed tantùm conditionatam ex parte acceptantis: vnde ſunt verè Religioſi. Quòd autem poſt dicta vota retineant dominium, & proprietatem ſuorum bonorum, ſolo eorum vſu, & adminiſtratione abdicatis, eſt quidem præter eſſentiã Religionis, non tamen contra, vnde ſine dubio potuit ſummus Pontifex diſpenſare ad bonum finem inſtitutionis, & conſeruationis eorum. to.1.q.1.art.4.& to.3.q.1.art.6.

Profeſſi Societatis emittẽtes expreſsè quartum votum de obediendo domino Papæ, non magis inde obligantur ipſi obedire in ſuis obſeruantiis regularibus quàm alii Religoſi, cùm omnes illud idem tacitè ex æquo feciſſe cẽſendi ſint: Papa enim non tantum vt caput totius Eccleſiæ, ſed vt Author formalis omniũ Regularium, eſt proptius omnium Religionum Prælatus. to.1.quæſt.12.art.6.

Tria vota ſolita emitti a Religioſis, sũt iure diuino ita eſſentialia Religioni, vt

vno

vno deficiente etiam per dispēsationem Papæ, ipsa etiam desinat esse Religio, & is, cum quo fuit sic dispensatum. Religiosus, q 25. art. 1.

Tenuerunt multi, fratres Minores emittere quartum votum solemne de seruanda tota Regula, dicendo: Voueo obseruare Regulam Fratrum Minorum; sed hanc clausulam doctè explicat D. Thom. cum aliis debere intelligi: Voueo obseruare Regulam, & vitam in Regula modificatam; vnde nullum inde nouum votum exurgit, q 26. art. 4.

Votum inferioris numquam potest augere Superior axiomate D. Bernardi: Votum meum non ad auget prælatus, tom. 3. q 19 art. 8.

Hic obserua (candide Lector) concessionem Leonis X. de ieiunijs a Fratribus Minoribus transferendis, illimitatè de omnibus esse intelligendam, licèt antè, propter errorem præli, summè ad sola regularia fuerit coarctata.

F I N I S.

Corrigebat Admodum R. D. Franciscus Baretius.